35

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XVI.

ANTONIUS WRANCIUS
SIBENICENSIS DALMATA

EXPEDITIONIS SOLYMANI IN MOLDAVIAM ET TRANSSYLVANIAM LIBRI DUO

DE SITU TRANSSYLVANIAE, MOLDAVIAE ET TRANSALPINAE LIBER TERTIUS

EDIDIT

COLOMANNUS EPERJESSY

MCMXLIV. — K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XVI.

ANTONIUS WRANCIUS
SIBENICENSIS DALMATA

EXPEDITIONIS SOLYMANI IN MOLDAVIAM ET TRANSSYLVANIAM LIBRI DUO

DE SITU TRANSSYLVANIAE, MOLDAVIAE ET TRANSALPINAE LIBER TERTIUS

EDIDIT

COLOMANNUS EPERJESSY

MCMXLIV. — K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

EXCUDEBAT LEOPOLDUS BARTOS, SZEGED

INTRODUCTIO.

*I. — De vita scriptisque Antonii Wrancii.**

a) Vita.

Antonius Wrancius[1] in civitate Sibenico[2] (in Dalmatia) die 29. mensis Mai a. 1504. natus est. Maiores eius e Bosna in Croatiam, inde in Dalmatiam Turcas fugerunt. Pater Franciscus Sibenici civis maxime insignis, cultura Italica excultus, mater Margaretha e familia Statilia Tragurina[3] orta erant, cuius frater Ioannes postea episcopus Transilvanus[4] factus est. Antonius noster linguam maternam Illyricam habebat; puer apud Ioannem avunculum primum Tragurii, deinde decem annorum in Transilvania maxima cura educatus est, cuius adiumento primum beneficio canonico Scodrensi[5] et Vesprimiensi[6] suppeditatus est, postea in universitatem Patavinam mittitur. Iuvenis reversus Viennae, mox Budae in aula avunculi moratus ad officium diplomaticum instituitur. Primum munus a rege Ioanne[7] accepit, a quo laicus (post delicatam iuventutem) praepositus Budensis et secretarius regius electus est. Paulo post archidiaconatum Albae Iuliae[8] adipiscitur. Stephanum Brodericum[9] episcopum Sirmiensem[10] patronum mox sibi conciliavit. Res diplomaticas paene omnes Ioannis regis solus administravit. Apud exteras nationes munere legati pluries fungebatur. E legationibus a. 1536. in Hungariam revertitur maximam experientiam diplomaticam sibi comparans. Post mortem Ioannis regis (1540.), cui fidelissimus erat, viduae reginae Isabellae[11] adhaesit, ab anno 1549.

---

* Bibliographiam brevem et recentem ad vitam operaque Antonii Wrancii attinentem in fine Introductionis collocavimus. — Nos de vita scriptisque Wrancii tantum breviter scribere voluimus et errores librorum in Bibliographia memoratorum refutari supervacaneum esse duximus.

[1] Wrancius s. Wrantius s. Verantius; Hungarice: Verancsics s. Veráncsics s. Verántz.

[2] Civitas apud Romanos Sicum appellabatur, media aetate Sibenicum s. Sebenicum, nunc Sebenico.

[3] Apud Romanos Tragurium; nunc Traù appellatur, civitas et arx in Dalmatia.

[4] Albae Iuliae (Hungarice Gyulafehérvár) residens. (V. comm. 8.)

[5] Civitas Scodra (apud Romanos) in Illyrico. Nunc Sclavonice Skadar, Italice Scutari nominatur.

[6] Vesprimium (nunc Veszprém) in Hungaria Transdanubiana; sedes episcopalis.

[7] Ioannes de Zápolya (Sapolia), rex Hungariae 1526—40.

[8] Alba Iulia (nunc Gyulafehérvár) in Transilvania; sedes episcopi Transilvani. (V. comm. 4.)

[9] Brodarics s. Brodarich, episcopus Sirmiensis a. 1525—37., episcopus Vaciensis a. 1537—39. (Vacia, Hungarice Vác.)

[10] Sirmium (hodie Mitrovica) prope Belgradum (Beograd; Alba Graecorum); episcopatus Sirmiensis in dicione Hungarica.

[11] Filia Sigismundi I. regis Polonorum (1506—48) et Bonae Sfortiae a. 1519. nata est. A. 1539. uxor Ioannis regis Hungarorum facta est, quorum filius Ioannes Sigismundus a. 1540. natus est; postea princeps Transilvaniae; a. 1571. mortuus est. (Mater eius Isabella a. 1559. moritur.)

autem Ferdinandum I.[12] secutus canonicus Agriensis,[13] archidiaconus Sabolcensis,[14] lector canonicus Strigoniensis[15] et abbas Pornensis[16] factus est. A Nicolao Olaho archiepiscopo Strigoniensi[17] quoque merito adiutus a. 1553. episcopus Quinqueecclesiensis[18] creatur et ad Solymanum caesarem Turcarum[19] missus in Turcia quattuor annos moratur. A. 1557. reversus episcopatum Agriensem consequitur, quod munus usque ad annum 1567. gessit. Interea arcem sedis episcopalis adversus Turcas munivit. A. 1568. iterum in Turciam ad Selimum II. caesarem[20] mittitur, quocum pacem Drinapolitanam[21] fecit. Mortuo Nicolao Olaho mense Novembri a. 1569. in locum eius archiepiscopus Strigoniensis electus est. Quia usque ad id tempus laicus erat, solum papa urgente mense Decembri eiusdem anni primam missam celebravit. Strigonio iam pridem a Turcis occupato sedem et aulam archiepiscopalem Viennam, Posonium[22] et in civitatem Érsekújvár[23] transtulit. Die 24. mensis Iunii a. 1572. locumtenens regius a Maximiliano I.[24] rege electus est. Die 8. mensis Septembris a. eiusdem vivente patre Maximiliano Rudolphum[25] Posonii regem Hungariae coronavit. Die 5. mensis Iunii a. 1573. a Gregorio XIII.[26] papa cardinalis creatus est, honor autem eum vivum iam non invenit, nam die 15. mensis eiusdem in civitate Eperjes[27] mortuus est. Corpus Tirnaviae[28] est sepultum.

Wrancius spiritu humanitatis imbutus, rerum publicarum et ecclesiasticarum peritissimus, sollertissimus diplomata, scriptor dissertationum et monographiarum historicarum, orator unus e doctissimis aetatis suae viris excelsum sibi nomen comparavit. Immo iuvenis carmina quoque scribere tentavit.

Wrancius decades Bonfinis[29] ab anno 1490.[30] continuare voluit, quod opus titulo De rebus Hungarorum ab inclinatione regni historia incepit. Qua de causa permulta documenta historica et con-

---

[12] Rex Hungarorum a. 1526—64. (A. 1521—64. archidux Austriae, a. 1556—64. imperator Romanorum.) A. 1526—40. una cum Ioanne rege in Hungaria regnabat.

[13] Agria (Hung. Eger), civitas cum sede episcopali; nunc archiepiscopatus.

[14] Szabolcs in Hungaria, arx (nunc pagus).

[15] Strigonium (Hungarice Esztergom), sedes archiepiscopalis.

[16] Pornó (nunc Pornóapáti) in Hungaria in comitatu Vas.

[17] Nicolaus Olahus archiepiscopus Strigoniensis a. 1553—69.

[18] Quinqueecclesiae (Hungarice Pécs); sedes episcopalis.

[19] Solymanus II. s. Magnus, caesar Turcarum a. 1520—66.

[20] Successor Solymani II. (v. comm. 19.); regnavit a. 1566—74.

[21] Drinapolis, Turcice Edirne.

[22] Posonium (Hungarice Pozsony); non longe a Vienna.

[23] Érsekújvár in Hungaria septentrionali, in comitatu Nyitra.

[24] Maximilianus I. rex Hungariae (et II. archidux Austriae) a. 1564—76.; eodem tempore imperator Romanorum.

[25] Rudolphus I. rex Hungarorum a. 1576—1608. (et II. archidux Austriae a. 1576—1608.); imperator Romanorum a. 1576—1612.

[26] 1572—85. [27] Eperies in Hungaria septemtrionali, in comitatu Sáros.

[28] Tirnavia (Hungarice Nagyszombat); in Hungaria occidentali.

[29] Rerum Ungaricarum Decades Antonii de Bonfinis in hac Bibliotheca Scriptorum Medii Recentisque Aevorum in lucem prodierant: tt. 1—3. (1936.), t. 4. pars 1. (1941.); t. 4. pars 2. (Appendix Bonfiniana et Index Nominum) excuditur. — Bonfinis opus usque ad a. 1496. exeuntem scripsit.

[30] Mors Matthiae Corvini de Hunyad regis Hungarorum (1458—90.), successor Uladislaus (Wladislaus) II. (1490—1516.; rex Bohemiae 1471—1516.)

scripsit et ab aliis scripta collegit, tempus autem, ut consilium impleret, rebus publicis et ecclesiasticis occupatus — nobis maxime dolentibus — non habuit. Opus, quod ad materiam attinet, sane eximium fuisset, nam plures linguas callens et legatus totam paene Europam (Poloniam, Italiam, Austriam, paeninsulam Haemi,[31] Franciam, Britanniam, Turciam) peragrans fontibus permultis, ut e commentariis nobis relictis elucet, uti potuit. Wrancius autem historicus pragmaticus, ut dicitur, vix fuisset, nam obiectivitatem historicam in scriptis eius plerumque desideramus, scripta autem relicta — praesertim epistolae — ad historiam eius temporis cognoscendam fontes maxime pretiosi habentur, quae altera parte saeculi XVIII., usque ad quod tempus nullum effectum habuerant, ex archivo familiari Sibenicensi in Hungariam venerunt, mox — eodem saeculo exeunte — paene omnia in bibliothecam Francisci Széchenyi privatam, unde — testamento eiusdem Széchenyi a. 1802. dato — a. 1807. in Museum Nationale Hungaricum tunc fundatum devenerunt.

Scripta Wrancii omnia in 12 tomis edita sunt. Nova editio pretium operae faciet.

Vitam Wrancii filius fratris, Faustus,[32] quem iuvenem ipse magnis sumptibus Posonii et Patavii educabat et qui — episcopus Csanadiensis[33] quoque factus — honestum nomen in litteraturae historia quoque nobis reliquit, primus composuit.

B) Scripta.

Monographiae et dissertationes historicae (maximam partem Latine, minorem partem Hungarice). — Epistolae. — Dialogus cum fratre suo Michaele. — Carmina quaedam (Latine et Italice).

II. — De opusculo Wrancii historico a nobis nunc edito.

Wrancius hoc opusculum a. 1538. vel proximo iam conscribere aggressus esse videtur, e'quidem primum tantum duos libros (I. et II.) componere voluit, mox autem his — utilitate suadente — tertium[34] quoque librum adiunxit. Wrancius hoc opusculo scribendo, ut e libris I. et II., ut credimus, bis descriptis (qui autem ultima lima descriptioneque ultima [tertia] carent) et e prima parte libri III. (1—85.) ter descriptis elucet, multum temporis — circa quinque annos annis aliquot intermissis — consumpsit, quam coniecturam nostram etiam magna differentia inter descriptiones extantia nobis monstrant suffulciuntque.

Wrancius (qui post cladem Mohacsiensem [a. 1526.] in Hungariam venit), Decades Rerum Ungaricarum Antonii de Bonfinis continuare voluit, cuius titulus fuisset: De rebus Hungarorum ab inclinatione regni historiá,[35] quod consilium autem multis rebus

[31] Balkan.
[32] Vixit a. 1550—1617.
[33] Csanád in Hungaria; sedes episcopalis nunc in civitate Szeged.
[34] Sententia 5. libri III.: ... hoc tertio libro ...
[35] Cuius operis partes editae sunt a Ladislao Szalay in tomo I. omnium operum Antonii Wrancii, ubi libri III quoque opusculi a nobis nunc editi in lucem prodierunt.

politicis et ecclesiasticis impeditus ad effectum ducere non potuit, materiam autem semper ad opus maximi momenti conscribendum sedulo collegit, immo alios quoque ad materiam colligendam rogavit.[36] Fieri igitur potest, ut hoc opusculum a nobis nunc editum ex hac materia sit.

Quia autem codex F (libri I. et II.), qui in definitivam formam descriptus est, propter multas quoque correctiones et, ut creditur, propter Supplementum libro I. praemittendum iterum (tertium) describendus esset, et codex C (1—85. libri III.) item in definitivam formam descriptus est, conicimus hoc opusculum ut partem quandam (monographiam) operis magni separatim quoque esse editum, si non excusum vel viris excellentibus (exempli gratia Nicolao Olaho dedicatum, saltem ut amicis dono missum. Invenimus enim in epistolis Wrancii ad Stanislaum Lascum et Ioannem Bonerum a. 1548. scriptis[37] eum ad eos duo fragmenta historiarum eius misisse, quae tamquam degustamenta ex opere ab eo contexendo excerpta sunt, quorum titulus De successu rerum Hungaricarum ab obitu Matthiae regis.[38] Fieri igitur admodum potest, ut de opusculo Wrancii a nobis nunc edito agatur, vel tantum de libris I. et II.

Ceterum, ut iam diximus, quia libri I. et II., quamquam a Wrancio iam in definitiva forma in codice F descripti erant, multas correctiones habent et, ut creditur, libro I. Supplementum quoque praeponendum sit, ultima descriptione — ut videtur, tertia — et sic ultima lima quoque carent. Liber III. tantum in prima parte (1—85.) habet definitivam formam et ultimam manum, altera pars autem (86—182.) — ut videtur — descripta in nonnullis partibus ne semel quidem a Wrancio perlecta est; ita igitur habemus, ut a Wrancio crudo stilo primum composita est. — In definitiva igitur forma sunt 1—85. libri III., paene in definitiva forma Supplementum et libri I. et II., ultima lima carent 86—182. libri III., quod marginalia non inscripta quoque demonstrant, ad quas sententias ad definitivam formam componendas aliquot fontibus uti, ut videtur, coactus est.

III. — De historia codicum et editionum opusculi Wrancii.

Wrancius, cum hoc opusculum a. 1538. vel proximo scribere aggressus est, tantum duos libros, quorum unus bellum Petri Moldaviae vaivodae cum Solymano, alter apparatum Ioannis regis contra Solymanum in Transsylvaniam invadentem tractant, scribere

[36] Sic inter alios Georgium Sirimiensem, qui, ut creditur, opus suum, quod Epistola de perdicione regni Hungarorum inscribitur, Wrancio tradidit. (Acsády, v. Bibliographiam nostram.) — (Opus Georgii Sirmiensis in hac Bibliotheca nunc excuditur; edunt Ladislaus Erdélyi et Ladislaus Juhász.)

[37] Epistola Wrancii ad Stanislaum Lascum scripta invenitur apud Kovachich in Praefatione tomi II. in p. XIV. et epistola eiusdem ad Ioannem Bonerum ibidem in pp. XIV—V.; in editione omnium operum Wrancii epistola ad Stanislaum Lascum t. VI., pp. 305. et epistola ad Ioannem Bonerum t. VI., pp. 310. editae sunt.

[38] Sic memorat Wrancius opusculum suum in epistola ad Lascum scripta (v. comm. 37.).

voluit, non multo post autem, ut creditur, optimum duxit res quoque, quae bello Petri vaivodae praecedunt, et conscribi et libro I. praeponi; hanc partem nos tantum ut Supplementum edere potuimus, quia manuscriptum Supplementi Wrancianum non habemus, textum enim tantum in quadam descriptione saeculo XVIII. facta novimus (Q). Postea — utilitate urgente — tertium librum quoque libris I. et II. adiungere decrevit de situ Transsylvaniae, Moldaviae et Transalpinae.

Ceterum scire debemus Supplementum stilum Wrancii redolet et vero, quod ad argumentum attinet, libro I. praeponendum est ut prior pars libri I.

a) De libris I. et II. et Supplemento. — Codex F.

Postquam Wrancius in prima — ut credimus — forma libros I. et II. composuerat, eos in definitiva forma — ut Wrancius credidit — (in codice F) descripsit. Postquam autem Wrancius codicem descripserat, perlegens permultas correctiones in libris I. et II. efficere coactus est, etquidem tam multas, ut codex F amplius definitiva forma nullo modo dici potuit, immo hoc modo — propter multas correctiones — ultima manu quoque caruit, cui, ut creditur, accessit, ut necessarium esse duxerit eas res gestas quoque, quae rebus in libro I. descriptis praecesserant, conscribi; hanc partem, quam nos ut Supplementum edidimus, ut creditur, Wrancius libro I. praeposuit. Hoc modo liber I. e Supplemento et libro I. stetit. — Manuscriptum, de quo codex F descriptus est, ipse Wrancius, ut credimus, abiecit. Paene certo scimus codicem F secundam descriptionem fuisse (et non tertiam), id est ante codicem F tantum sola descriptio fuit, libri I. et II. enim, quod ad argumentum attinet, non sunt scriptu tam difficiles et correctionibus obnoxii, ut quattuor descriptionibus opus fuerit, tantum tribus.

Necessitas Supplementi conscribendi, ut creditur, et libro I. praeponendi et correctio codicis F (libri I. et II.) uno tempore emersae esse Wrancio videntur.

Codicem Supplementi iam nullum habemus, nec Wrancianum nec a quodam librario descriptum, certo scimus autem id quoque duas descriptiones habuisse, quarum unam Wrancius abiecit, altera temporum inquitate periit.

Codex igitur F, id est libri I. et II. ultima (tertia) descriptione, id est ultima lima carent. Simili modo arbitrari de Supplemento quoque debemus.

b) De libro III. — Codices A et B et C.

Compositis libris I. et II. Wrancius opusculum mancum putans necessitate urgente librum III. quoque duobus libris adiecit. Cuius libri III. prima pars (1—85.) tres redactiones (descriptiones), secunda (media) pars (86—173.) duas redactiones (descriptiones) et tertia (ultima) pars (174—82.) solam redactionem (descriptionem) monstrant, etquidem redactionem I. codex A, II. codex B, III. C ad nostram aetatem servavit, etquidem ita, ut codex A ante sententiam 174. sententias 172—73. a Wrancio deletas in redactione

I. servasset et codex B ante sententiam 86. sententias 21—84. a Wrancio deletas in redactione II. servasset, quas deletas sententias nos in Appendicibus I. et II. Annotationum Criticarum edidimus.

Redactio I. — A — Fol. Lat. 2380. tom. III. foll. 52—53. E redactione I. tantum duo folia habemus, quae sententias 172—73. a Wrancio deletas et sententias 174—82. redactioni II. adiectas continent. Folia, quae ante folium 52. steterant et in redactione I. sententias 1—172.[39] continebant, certe ipse Wrancius abiecit, postquam de his foliis redactionem II. (codicem B) descripserat. Sententiae 172—73.[40] in fol. 52r. superiore inventae, quae, postquam in redactione II. a Wrancio transcriptae erant, a Wrancio deletae sunt, a nobis in Appendice I. Annotationum Criticarum editae sunt. Folia 52—53. redactionis I. nos simplicitatis gratia littera A significavimus.

Redactio II. — B — Fol. Lat. 2380. tom. III. foll. 54—57. et 39—51.[41] — E redactione II. 16 folia habemus, quae sententias 21—84.,[42] postquam a Wrancio in redactionem III. (in codicem C) descriptae erant, a Wrancio deletas et sententias 86—173. redactioni III. futurae a Wrancio describendae servatas continent. Folia, quae ante folium 54. steterant et in redactione II. sententias 1—21.[43] continebant, certo ipse Wrancius abiecit, postquam de his foliis hanc redactionem II. descripserat, folia autem 54—57. sententias 21—84. continentia et a Wrancio deleta post descriptam redactionem III. (C) Wrancius abicere vel neglexit vel oblitus est, quas sententias nos in Appendice II. Annotationum Criticarum edidimus. Wrancius descriptis in redactione II. (B) sententiis 1—173. huic redactioni II. adiecit sententias 174—82. redactionis I. (foll. 52—53.: A). — Folia redactionis II. (54—57. et 39—51.) nos simplicitatis gratia littera B significamus.

Redactio III. — C — Fol. Lat. 2380. tom. II. foll. 1—18. — Wrancius, antequam redactionem II. (B) finivisset, iam consilium redactionis III. cepit, in redactione III. autem tantum sententias 1—85. descripsit, sententias autem 86—173. redactionis II. (B) et sententias 174—82. redactionis I. (A) in redactione III. describere vel tempus vel voluntatem non habuit. — Folia 1—18. redactionis III. nos simplicitatis gratia littera C significavimus.

c) De libris I—III. — Codex Q.

Antonio Wrancio mortuo — ut credimus — manuscripta eius Faustus Wrancius Sibenicum tulit et in archivo familiari collocavit. Ibi saeculo XVIII. librarius quidam de codice Supplementum continenti et, ut creditur, libro I. praeposito (nunc perdito)

[39] E sententia 172. tantum prior pars fuit. (V. comm. 40.)

[40] E sententia 172. tantum posteriorem partem habemus. (V. comm. 39.)

[41] Folia non recto ordine numerata sunt, nam post folium 57. folium 39. sequitur; post folium 51. recte sequuntur folia 52—53., quae nos ut codicem A memoravimus (redactio I.).

[42] E sententia 21. tantum posteriorem partem habemus. (V. comm. 43.) — E redactione II. hae sententiae (quae in redactione III. [C] inveniuntur) desunt: 24., 25., 33—41., 58—61., 66—79., 81—83., 85.

[43] E sententia 21. tantum prior pars fuit. (V. comm. 42.)

et de codicibus F et A opusculum Wrancii historicum descripsit (codices B et C ignoravit). Hic igitur codex Q non continet totum opusculum Wrancii, nam desunt sententiae 86—182. libri III. Postquam manuscripta Wrancii in Hungariam redierant, hic codex Q, ut credimus,[44] in duas partes dispersus est, quarum una in bibliothecam Francisci Széchenyi privatam, altera in bibliothecam Nicolai Jankovich privatam devenerunt. Mox altera pars quoque in bibliotheca Francisci Széchenyi collocata est, duae partes autem non agnitae et ideo non compactae sunt, immo prima pars prima saeculi XIX. parte periit vel adhuc latet: hanc primam partem a. 1798. Kovachich edidit, quam a. 1857. Szalay videre iam non potuit.[45]

De duabus editionibus opusculi Wrancii.

A. 1798. Kovachich e prima codicis Q parte (nunc deperdita vel latente) et e codicibus A et B et C primum opusculum Wrancii historicum edidit, editio eius autem non completa est, quia tantum primam partem codicis Q noverat et codicem F ignoravit. — A. 1857. Szalay edidit opusculum totum (primam totam editionem) e codicibus F, C, B, A et altera parte codicis Q, Supplementum autem iam tantum ex editione Martini Kovachich edere potuit, quia primam partem codicis Q videre ei iam non contigit. — Editio nostra igitur tertia est (tota secunda).

De Appendicibus I. et II. Annotationum Criticarum.

Cum Wrancius de redactione I. codicis A redactionem II. in codicem B descripsit, tantum sententias 1—173. descripsit, sententias autem 174—82. de redactione I. codicis A iterum describi necessarium esse non putavit, sed redactioni II. (codici B) adiunxit, quod fecit primum ideo, quod in sententiis 174—82. paucae correctiones fuerunt et hoc modo supervacaneae fuerunt ad iterum describendum, secundum ideo, quod Wrancius, antequam redactio II. (codex B) tota descripta esset, iam redactionem III. quoque fieri necessarium esse vidit.

Appendix I. Annotationum Criticarum. Cum sententiae 1—173. redactionis II. in codicem B descriptae sunt et folia 52—53. redactionis I. (codex A) foliis 54—57. et 39—51. redactionis II. (codex B) adiuncta sunt, in superiore parte folii 52r. sententiae 172—73., id est sententiae redactionis I., postquam in codicem B ut redactio II. descriptae fuerant, a Wrancio deletae erant, quarum textum (redactio I.) in Appendice I. Annotationum Criticarum edidimus.

Appendix II. Annotationum Criticarum. Cum sententiae 1—85. redactionis III. in codicem C de redactione II. (B) descriptae fuerant,

[44] Nam aliter credi non potest, Kovachich enim primam partem anno 1798. e manuscripto in bibliotheca Francisci Széchenyi asservato edidit, Jankovich autem, ut in codice inscripsit, a. 1800. emit codicem (certo alteram partem) e manuscriptis Wrancii Sibenici detectis: Jankovich *totum* manuscriptum a. 1800. emere non potuit, quia duobus annis ante prima pars manuscripti iam in bibliotheca Francisci Széchenyi collocta erat.

[45] Szalay enim Supplementum iam tantum ex editione Martini Kovachich edere potuit.

folia 54—57. et superior pars folii 3 r. redactionis II. a. Wrancio deletae erant, quorum foliorum textum (redactio II.) in Appendice II. Annotationum Criticarum edidimus. (Folia 54—57. abicere Wrancius post descriptionem vel neglexit vel oblitus est.)

IV. — De codicibus et editionibus opusculi Wrancii.

F — Budapest, Bibliotheca de Francisco Széchenyi nominata in Museo Nationali Hungarico. Fol. Lat. 422., tom. I., saec. XVI. (c. 1538—43), chart., autographus Wrancii. — Codex continet libros I. et II. a Wrancio in definitivam formam descriptos, quia autem Wrancius hunc codicem admodum correxit, immo inter corrigendum et tota folia et dimidia folia abiecit et, ut creditur, libro I. partem quandam ut priorem partem libri I., quam nos Supplementum edidimus, praeposuit, hunc codicem iam nec ipse Wrancius ut definitivam descriptionem spectare potuit, iterum autem describere, ut videtur,[46] iam nec tempus nec voluntatem habuit. — Codex 70 folia et ab ipso Wrancio numerata (numeratio originalis) habuit, quia autem nunc iam 4 folia: 1., 15—17. (nempe numerationis originalis) desunt, nunc tantum 66 folia (numerationis novae) habemus. Praeterea e foliis 2. (num. orig., 1. num. novae) et 7. (num. orig., 6. num. novae) tantum dimidias inferiores partes habemus, scilicet superiores partes horum foliorum ipse Wrancius inter corrigendum abiecit, quorum foliorum dimidiorum textum a Wrancio deletum nos in Annotationibus Criticus edidimus. Folia 1., 15—16. (nempe num. orig.) certo ipse Wrancius abiecit, folium autem 17. (nempe num. orig.), quia folium 18. (num. orig., 14. num. novae) sententia 35. manca initium capit, cuius initium in fol. 17v. (nempe num. orig.) fuit, vel totum vel saltem pars eius folii inferior fortasse non a Wrancio abiecta est, sed periit. (Fieri autem id quoque, potest, ut Wrancius sententiam 35. mancam in folio 18. [num. orig., 14. num. novae] inter corrigendum delere oblitus est, quo in casu sententia 35. manca delenda est et hoc modo opusculum Wrancii ne uno quidem vocabulo mancum est; nos edidimus sententiam 35. mancam, id est coniecimus folium 17. [nempe num. orig.] totum vel saltem eius folii inferiorem partem non a Wrancio esse abiectam, sed periisse.) — In fol. 1. num. novae (2. num. orig.) quod dimidium est, nam Wrancius partem superiorem inter corrigendum abiecit, infra hic titulus secunda manu inscriptus est: Bellum Petri Moldavi cum Solimano et Ioannis regis apparatus. Ceterum liber I. folia 1v—39r. num. novae (2v—43r. num. orig.), liber II. folia 39v—66r. num. novae (43v—70r. num. orig.) occupat; folium 66v. num. novae (70v. num. orig.) vacuum est. — Codex in folio 1v. non sententia 1. libri I. (Quum de Solimani caesaris expeditione...), sed hac sententia initium capit: *Verum, ut exponam rem omnem, quam verissime fieri potuit, intellectam, ordine prosequar,* quam sententiam autem nos relinquendam esse duximus, quia, si, ut creditur, hanc sententiam Wrancius ideo non delevit, quod iam tunc Supplementum libro I. prae-

[46] V. ceterum textum, ad quem comm. 37. scriptus est.

ponere decrevit, nos Supplementum separatim edidimus et non libro I. praeposuimus. Ceterum haec sententia de hoc codice (F) descripta erat in ea folia codicis Q, quae folia perierunt vel latent et de quibus Kovachich Supplementum edidit, unde et nos hanc sententiam (Suppl. 73.) edidimus et non de codice F. — Codicem F secundam descriptionem (redactionem) esse credimus. — Codex permulta marginalia habet, quae nos separatim edidimus. — Kovachich codicem ignoravit. — Nos hunc codicem in libris I. et II. edendis fundamento posuimus.

A, B et C — Budapest, Bibliotheca de Francisco Széchenyi nominata in Museo Nationali Hungarico. — A: Fol. Lat. 2380., tom. III., foll. 52-53. — B: Fol. Lat. 2380., tom. III., foll. 54—57. et 39—51. — C: Fol. Lat. 2380., tom. II. foll. 1—18. — Saec. XVI. (c. 1538—43.), chart., omnes autographi Wrancii.

A — Duo folia e redactione I. libri III. ad nostram aetatem remanserunt, nam Wrancius, cum redactionem II. componeret, haec duo folia propter paucas correctiones describi supervacaneum esse putans, cum iam vidit tertiam redactionem quoque esse debere, redactioni II. adiunxit. De his foliis sententias 174—82. edidimus, ante quas sententias invenimus partem quandam a Wrancio deletam, quam (sententias 172—73.[47]) correctam in redactionem II. Wrancius transcripsit; hanc partem deletam nos in Appendice I. Annotationum Criticarum edidimus. Postquam Wrancius redactionem II. composuerat, ea folia, quae ante folium 52. steterant et in redactione I. sententias 1—172.[48] continuerant, abiecit. Redactio I. igitur constiterat e foliis ante folium 52. stantibus et a Wrancio post descriptionem redactionis II. abiectis, quae continuerant sententias 1—172., praeterea e foliis 52—53., quae continent sententias 172-82. — A nobis non creditur quaedam redactio huic redactioni I. praecessisse. — Marginalia ex hoc codice desunt. — Codice Kovachich usus est — Nos sententias 174—82. libri III. ex hoc codice edidimus.

B — 16 folia e redactione II. habemus, quibus e redactione I. duo folia (codex A) adiuncta sunt, postquam Wrancius vidit tertiam quoque redactionem esse oportere. De foliis 39—51. edidimus sententias 86—173., textum autem foliorum 54—57. et superioris partis folii 39r. a Wrancio ipso, postquam redactio III. (C) descripta erat, deletorum et a Wrancio abici neglectorum nos in Appendice II. Annotationum Criticarum edidimus. Folia igitur 54—57 Wrancius abicere vel neglexit vel oblitus est, abiecit autem folia duo vel tria, quae ante folium 54. steterant et quae sententias 1—21.[49] continuerant (in redactione II.) — Redactio igitur II. constabat: 1. e duobus vel tribus foliis redactionis II., quae ante folium 54. steterant et in redactione II. sententias 1—21. continuerant et quae

[47] E sententia 172. tantum posteriorem partem habemus (prior pars cum folio ante folium 52. stanti a Wrancio abiecta est). (V. comm. 48.) — Cf. Appendicem I. Annotationum Criticarum.

[48] E sententia 172. tantum prior pars fuit, cuius sententiae posteriorem partem iam in folio 52r. invenimus. (V. comm. 47.)

[49] E sententia 21. tantum prior pars fuit, huius enim sententiae posteriorem partem iam in folio 54. invenimus. (V. comm. 50.)

Wrancius, postquam redactionem III. confecerat, abiecit; 2. e foliis 54—57. et 39—51. redactionis II., quae continent sententias 21—84.,[50] quas Wrancius, postquam redactionem III. (C) confecerat, delevit, abicere autem neglexit vel oblitus est, et sententias 85—173., quarum redactionem III. desideramus; 3. e codice A, qui continet sententias 174—82. in redactione I., cuius codicis folia (2) folio 57. adiuncta sunt. (Sententiae igitur 174—82. ne redactionem II. quidem habent.) — In hoc codice solum marginale invenimus, etquidem ad sententiam 144. (libri III.) scriptum, quod nos separatim (Marginalia) edidimus. — Kovachich codice usus est. Nos sententias 86—173. libri III. ex hoc codice edidimus.

C — Codex continet redactionem III. sententiarum 1—85. libri III., etquidem in definitiva forma; quamquam alioquot correctiones codici insunt, tamen ultima lima non caret. Dolendum est, quod Wrancius non totum librum III. descripsit, tantum sententias 1—85., etquidem de duobus vel tribus foliis folio 54. codicis B praecedentibus, quae Wrancius abiecerat, sententias 1—21., de foliis 54—57. et de superiore parte folii 39r. codicis B sententias 21—85.,[51] folia autem 39—51. codicis B sententias 86—173. (redactio II.) continentia, praeterea folia 52—53. codicis A sententias 174—82. (redactio I.) continentia describere Wrancius nec tempus nec voluntatem habuit, quae igitur sententiae (86—182.) hoc modo ultima lima indigent. — Folio 1. praecedit folium quoddam innumeratum (pagina tituli), cui recto secunda manus inscripsit: Frag. Ant. Verantius. (Fol. 1v. vacuum.) In folium 1r. a Wrancio hic titulus inscriptus est: Antonius Wrancius Sibenicensis Dalmata De situ Transsylvaniae, Moldaviae et Transalpinae, post quem titulum sequitur liber III. — Folia 18v. et 19. vacua sunt. — Kovachich codice, e quo sentt. 1—85. l. III. edidimus, usus est.

Q — Budapest, Bibliotheca de Francisco Széchenyi nominata Musei Nationalis Hungarici. Quart. Lat. 360., saec. XVIII, chart., foll. 23. — Cum Wrancius mortuus erat, omnia eius scripta Sibenicum portata et in archivo familiari Wranciano collocata sunt. Hic codex saeculo XVIII. ibidem de his manuscriptis autographis Wrancianis, etquidem de manuscripto Supplementi nunc iam perdito et de codicibus F et C descriptus est. (Supplementum, ut creditur, ut pars libro I. praecedens in archivo una cum libro I. fuit; haec igitur est sola traditio, quae Supplementum ut partem libro I. praecedentem monstret.) Postquam scripta Wrancii saeculo XVIII. exeunte in Hungariam redierant, codex in duas partes dispersus est, etquidem in folia 1—10. et 23—33. (nempe numerationis originalis), quae ante a. 1798. in bibliothecam privatam Francisci Széchenyi devenerunt (de quibus Kovachich a. 1798. edidit Supplementum et eas partes e libris I. et II., quae in his foliis codicis Q inventae sunt; librum III. Kovachich iam de codicibus C et B et A edidit), et in folia 11—22. et 34—43. (num.

[50] E sententia 21. tantum posteriorem partem habemus, prior enim pars cum folio ante 54 stanti a Wrancio abiecta est. (V. comm. 49.) — Cf. Appendicem II. Annotationum Criticarum.

[51] V. comm. 42.

orig., 2—23. [2—13. et 14—23.] num. novae), quae folia in bibliothecam privatam Nicolai Jankovich a. 1800. devenerunt. Paulo post (a. 1807.) bibliotheca Francisci Széchenyi privata Bibliotheca de Francisco Széchenyi Musei Nationalis Hungarici facta est. Nescimus, utrum folia codicis Q in bibliotheca Francisci Széchenyi privata collocata tunc in Bibliothecam Musei Nationalis Hungarici devenerint, an intra decennium (1798—1807.) iam in bibliotheca Francisci Széchenyi perierint. Mox — annis 1832—36. — folia codicis Q in bibliotheca Nicolai Jankovich collocata quoque in Bibliothecam de Francisco Széchenyi nominatam Musei Nationalis Hungarici devenerunt. Duae partes codicis Q iam altera alteram invenire non potuerunt, nam folia, quae in bibliotheca Francisci Széchenyi collocata erant, iam perierunt vel latebant, folia autem, quae in bibliotheca Nicolai Jankovich asservata erant, nunc quoque in Bibliotheca de Francisco Széchenyi nominata Musei Nationalis Hungarici custodiuntur, quibus uti potuimus. — Folia perdita vel latentia has partes continuerant: folia 1—10.: certe paginam tituli et Supplementum et e libro I. sententias 1—4. Moldavi proceres (proceres: custos fuit); folia 23—33.: e libro I. sententias 94. abditus - usque ad finem libri I. et e libro II. 1—84 ut eum admoneat (eum admoneat: custos fuit). Folia autem, quae nunc habemus, has sententias continent: folia 2—13. (num. novae, 11—22. num. orig.) e libro I. sententias 4. proceres—94. latebris abditus (abditus: custos) et folia 14 - 23. (num. novae, 34—43. num. orig.) e libro II. sententias 84. eum admoneat—usque ad finem libri II. et e libro III. sententias 1—85. — Codex igitur totus 43 folia habuerat, e quibus perierunt vel latent folia 21, folia autem 22 nunc habentur. Postquam codex in duas partes divisus erat, iis foliis, quae nunc habemus, praefixum est folium (titulus paginae, fol. 1. nempe num. novae) hunc titulum continens: 1538. De expeditione Solymani Turcarum caesaris a. 1538. in Moldaviam contra Petrum vaivodam et de apparatu Ioannis regis contra Solymanum caesarem in Transylvaniam invadentem libri II ac de situ Moldaviae, Transylvaniae et Transalpinae libri III. fragmentum auctore Antonio Verantio. — In folium 23r. (num. novae, 43r. num. orig.) infra post textum Nicolaus Jankovich haec inscripsit: Ex mss. autogr. Verantianis Sibenici detectis a. 1800. comparavit N. J. — Fol. 23v. (num. novae, 43v. num. orig.) vacuum est. — Codicem Q vel rectius ea folia codicis Q, quae ad nostram aetatem remanserant (Supplementum enim iam nec in codice Q habemus nec eum codicem, de quo librarius textum in codicem Q descripsit, habemus), quamquam ambos codices, de quibus librarius codicem Q descripsit (F et C), habemus, tamen accuratissime contulimus Librarius, qui codicem Q descripsit, fortasse noverat codices B et A, quia autem eos ultima lima carentes agnovit, describere neglexit, codicem F autem, quamquam ultima lima caret, tamen ultima lima non carentem facile arbitrari potuit. — In codice Q, quamquam libri I. et II. de codice F marginalibus instructo descripti sunt, marginalia non inveniuntur.

Codices deperditi.

a) Periit codex manuscriptus autographus Wrancii ab ipso Wrancio deletus, qui erat prima descriptio librorum I. et II. et de quo codex F descriptus est. Certo hunc codicem ipse Wrancius abiecit, postquam codicem F descripserat. Iure credimus ante hanc primam descriptionem aliam descriptionem librorum I. et II. non fuisse.

b) Periit codex manuscriptus autographus Wrancii ab ipso Wrancio deletus et abiectus, qui erat prima descriptio Supplementi et de quo codex, ut creditur, codici F praeponendus ab ipso Wrancio descriptus est. Certo credimus ante hunc codicem nullam aliam descriptionem fuisse.

c) Periit codex manuscriptus autographus Wrancii, qui codici F, ut creditur, praepositus est et qui de codice perdito — superius littera b) signato — ab ipso Wrancio, ut videtur, iam in definitiva forma descriptus est, qui codex Supplementum continens autem propter multas correctiones codicis F in novo codice (descriptio tertia) una cum codice F describendus esset.

d) Perierunt e codice manuscripto autographo Wrancii F quattuor folia: 1., 15—17. numerationis originalis et duo folia dimidia: 2., 7. numerationis originalis (1., 6. numerationis novae). Wrancius, ut credimus, e folio 17. num. orig. tantum superiorem partem abiecit, inferior autem periit, nam in fol. 18r. num. orig (14. num. novae) sententia 35. sine initio legitur, cuius initium in dimidio folio inferiore 17v. num. orig. nunc deperdito fuit. (Fieri nempe id quoque potest, ut Wrancius in folio 18r. [14. num. novae] sententiam 35. mancam delere neglexerit.) — Folia igitur 1., 15—16. num. orig. tota, dimidia folia superiora 2., 7. num. orig. (1., 6. num. novae), praeterea dimidium folium superius 17. num. orig., cuius dimidium inferius postea periisset, ipse Wrancius post correctionem abiecit, ut credimus.

e) E codice manuscripto autographo Wrancii A ante folium 52. plura folia perierunt, quae a Wrancio primum calamo deleta, deinde ab eo ipso abiecta sunt. Haec folia continebant (in redactione III.) sententias 1—85. et (in redactione II.) sententias 86—171. nempe in redactione I.

f) E codice manuscripto autographo Wrancii B ante folium 54. duo vel tria folia perierunt, quae a Wrancio primum calamo deleta, deinde ab eo ipso abiecta sunt. Haec folia (in redactione III.) sententias 1—21 continebat nempe in redactione II.

g), h), i) Si Wrancius Stanislao Lasco et Ioanni Bonero hoc opusculum miserit, certe et sibi ipsi descriptionem fecerit. — g): exemplar Wrancii, h): exemplar Lasci, i): exemplar Boneri.

Codex latens vel deperditus.

E codice Q perierunt folia 1—10., 23—33. (nempe num orig.), id est 21 folia. — Kovachich a. 1798. his foliis usus est, Szalay autem haec folia a. 1857. iam non vidit. Folia fortasse latent.

V. — *Editiones.*

a) Editio princeps (non completa).

k — 1798. Buda, Martinus Georgius Kovachich. — [Fol. innum. r.:] Martini Georgii Kovachich Senquiciensis Scriptores Rerum Hungaricarum Minores inediti. Tomus II.[52] — [Fol.)(1r.:] Scriptores Rerum Hungaricarum Minores hactenus inediti, synchroni aut proxime coaevi, quos auspiciis eminentissimi s. R. e.[53] presbyteri cardinalis et s. R. i.[54] principis Josephi de Batthyan archiepiscopi Strigoniensis et primatis edidit Martinus Georgius Kovachich Senquiciensis. Tomus II.[52] ad comitem Johannem Illéshazy. Budae, typis Regiae Universitatis. MDCCXCVIII. — Haec editio opusculi Wrancii princeps, quod ad libros I. et II. attinet, non completa est, quia Kovachich codicem F ignoravit, e codice Q autem tantum iis foliis usus est, quae iam perierunt vel nunc latent (1—10. et 23—33. nempe numerationis originalis[55]), de quibus foliis partes librorum I. et II. editae sunt,[56] cognovit praeterea Kovachich codices C et B et A, de quibus codicibus liber III. totus editus est. — Edidit igitur Kovachich de foliis 1—10. num. orig. codicis Q perditis vel latentibus: Supplementum[57] et lib. I. 1—4. Moldavi (suos[58]) proceres (*proceres* custos fuit in fol. 10v. num. orig.) et de foliis 23 - 33. num. orig. cod. Q perditis vel latentibus: lib. I. 94. abditus—lib. II. 84. ut eum admoneat (*eum admoneat* custos fuit in fol. 33v. num. orig. cod. Q). Librum III. Kovachich totum edere potuit, quia codicibus C et B et A uti potuit, etquidem e codice C edidit 1—85, e codice B 86—173. et ex A 174 - 82. (finis libri III.). — Kovachich (in tomo II.) libros

[52] Pagina tituli tomi I.: Scriptores Rerum Hungaricarum Minores hactenus inediti, synchroni aut proxime coaevi, quos e codicibus autographis, partim etiam apographis inter se rite collatis desumtos et collectos auspiciis eminentissimi s. R. e. presbyteri cardinalis et s. R. i. principis Josephi de Batthyan archiepiscopi Strigoniensis et primatis ex grammatophylacio Széchényiano instituti diplomatico-historici edidit Martinus Georgius Kovachich Senquiciensis. Tomus II. ad comitem Franciscum de Paula Balassa de Balassa-Gyarmath. Praemittitur epistola ad comitem Georgium Banffi Transylvaniae gubernatorem. Qua diaria de variis rebus Hung. industria diversorum autorum conscripta serie chronologica percensentur. Budae, typis Regiae Universitatis. MDCCXCVIII.

[53] Sacratissimae Romanae ecclesiae.

[54] Sacri Romani imperii.

[55] Haec folia nempe, quia perdita sunt vel latent, numeratione nova instrui non potuerunt. (V. superius profusius, ubi de codice Q loquimur.)

[56] Ignovit igitur Kovachich ea folia codicis Q, quae nunc iam habemus, et quidem foll. 11—22. et 34—43. num. orig. (2—13. et 14—23. num. novae), quae continent: liber I. 4. nuncupantur—94. latebris et liber II. 84. de reliquis—95. (finis libri II.), quae igitur partes librorum I. et II. editioni Kovachichianae desunt; ignoravit praeterea Kovachich codicem F, qui scilicet totos libros I. et II. (sine Supplemento) continet.

[57] Supplementum ante librum I. positum est nempe sine ulla significatione supplementi et post supplementum sequitur liber I. Libri I. titulus est De rebus gestis Joannis regis Hungariae libri II. autore Antonio Verantio, fragmentum. — Post Supplementum sequitur liber I. sine ulla significatione libri I.

[58] *Suos* fortasse coniectura Martini Kovachich. (In codice F *suos* non invenitur; in codice Q folium 2r. novae num. [11r. orig. num.] cum vocabulo *proceres* initium capit.)

I. et II. in parte XII. posuit; libri I. titulus: De rebus gestis Joannis regis Hungariae autore Antonio Verantio, fragmentum, pp. 39—62.[59] (in p. 62.: Libri primi finis), et libri II. titulus: De apparatu Joannis regis contra Solymanum caesarem in Transylvaniam invadentem, pp. 63—82.;[60] liber III. in parte XIII. positus est, cuius titulus: De situ Transylvaniae, Moldaviae et Transalpinae fragmentum. Farrago indigesta. Ant. Verantius Sibenicensis Dalmata, pp. 82—114. — Kovachich tantum nonnullis coniecturis utitur, quae aliquanti pretii sunt, nos autem, quia codices fidelissime sequi decrevimus, has coniecturas non accepimus, in Annotationibus Criticis autem accuratissime collegimus. Supplementum, quod Kovachich de foliis[61] codicis Q nunc iam perditis edidit, ex hac editione Martini Kovachich (k) fideliter (paene ad vocabulum) edere coacti sumus, quia scire iam non possumus, in quibus vocabulis Kovachich coniecturis usus sit. — Ceterum Kovachich in Praefatione tomi II. in pp. XXI—IV. de opusculo Wrancii profusius loquitur; p. XXX. index opusculi; in p. XXXI. Kovachich memorat se hoc opusculum Wrancii „ex chartophylacio Verantiano-Draganichiano in grammatophylacio Széchényiano" edidisse, codices igitur C et B et A et folia codicis Q nunc perdita vel latentia tunc (a. 1798.) iam in bibliotheca Francisci Széchenyi privata asservabantur, quae folia codicis Q deinde prima saeculi XIX. parte (intra annos 1798. et 1857.) ex oculis elapsa sunt.

b) Editio altera (completo).

s — 1857., Pest, László (Ladislaus) Szalay. — Verancsics Antal m. kir. helytartó, esztergomi érsek összes munkái. Közli Szalay László M. Akad. t. Első kötet. Történelmi dolgozatok deák nyelven. (Opera omnia Antonii Wrancii locumtenentis regii Hungarici, archiepiscopi Strigoniensis. Edit Ladislaus Szalay sodalis Academiae Hungaricae. Tomus primus. Dissertationes historicae Latine scriptae). Pest, 1857. In serie: Monumenta Hungariae Historica. — Magyar Történelmi Emlékek. — Kiadja a Magyar Tudományos Akadémia történelmi bizottmánya. Második osztály: Írók. Második kötet. (Edunt delecti historici Academiae Scientiae Hungaricae. Classis secunda: Scriptores. Tomus secundus). — Haec editio iam totum opusculum Wrancii complectitur, Szalay enim iam noverat omnes codices, quos et nos novimus, ignovit igitur et ipse ea folia codicis Q, quae Kovachich noverat; id est Szalay novit codices F, C, B et A et folia 11—22. et 34—43. numerationis originalis (2—23. numerationis novae) codicis Q. In hac editione, sicut in editione k, liber I. continet Supplementum et librum I. Edidit igitur Szalay Supplementum ex editione k; partes librorum I. et II. descripsit vel describendas curavit ex editione k, quas deinde contulit codici F et partes, quae editioni k desunt,

[59] Supplementum pp. 39—57., libri I. 1—4. Moldavi suos proceres pp. 57—59., libri I. 94. abditus—107. (finis libri I.) pp. 59—62.

[60] Libri II. 1—84. ut eum admoneat pp. 63—82.

[61] Textus Supplementi in codice Q in foliis 2—10r., ut videtur, collocatus est (fol. 1. verisimiliter pagina tituli fuit), libri I. 1—4. Moldavi (suos) proceres in fol. 10r—v., ut videmus, legi potuerunt.

descripsit vel describendas curavit e codice F. Librum III. ex editione k descripsit vel describendum curavit et codicibus C et B et A contulit. Foliis codicis Q ad nostram aetatem remanentibus parum usus esse Szalay videtur. — Ceterum opusculum in his paginis editum est: liber I. (Supplementum et liber I.): pp. 50—97., liber II.: pp. 97—119., liber III.: pp. 119—151. — In hoc tomo II. Szalay libros I. et II. (tituli: De apparatu Joannis regis contra Solimanum caesarem in Transsylvaniam invadentem. [1536 - 1538.] Liber primus. — De apparatu Ioannis regis contra Solimanum caesarem in Transsylvaniam invadentem. Liber secundus. — Post librum II.: Finis.) ut partem VI. opusculorum Wrancii, librum III. (titulus: Antonius Wrancius Sibenicensis Dalmata de situ Transsylvaniae, Moldaviae et Transalpinae.) ut partem VII. opusculorum Wrancii edidit. — Szalay tantum nonnullis coniecturis utitur, quae aliquanti pretii sunt, quas autem nos, quia codices fidelissime sequi statuimus, accipere vix potuimus; ceterum variantes lectiones editionis plerumque ad scripturam attinent. — Szalay de codicibus satis erronee scribit in pp. X—XII., ex quo elucet Ladislaum Szalay folia codicis Q in edendo opusculo neglexit. — Editionem accurate contulimus.

c) Editiones particulares.

Marczali, Henrik, A magyar történet kútfőinek kézikönyve. Budapest, 1901. — Enchiridion fontium historiae Hungarorum, Budapestini. 1902. (sic). — In pp. 411—19. sententiae 120—82. editae sunt e libro III. secundum editionem s. Marczali textum editionis s editioni k non contulit. Textus usui scholarum accommodatus et annotationibus exegetis instructus est. Textum a nobis conferri supervacaneum esse duximus.

Eperjessy, Kálmán—*Juhász*, László, Szemelvények a magyar történelem latinnyelvű kútfőiből. — Partes e fontibus historiae Hungaricae Latinis selectae. Budapest, 1935. — In pp. 178—82. e libro III. hae sententiae editae sunt: 121—38., 143—57., 166—69., 173—79. Textus secundum editionem s editus est collatus corrigendi textus gratia codicibus B et A. Textus usui scholarum accommodatus est. Liber vocabulario instructus est. Textum a nobis conferri necessarium esse non putavimus.

Huszti, József, Latin chrestomathia (Chrestomathia Latina). Budapest, 1940. — In pp. 318—19. secundum editionem Henrici Marczali sententiae 120—28. editae sunt, quae a nobis conferri supervacaneae esse a nobis ductae sunt. Textus annotationibus exegeticis instructus et ad usum scholarum editus est.

VI. — Interpretatio Hungarica.

József (Iosephus) *Holub* sententias 121—81. libri III. in linguam Hungaricam transtulit ex editione Henrici Marczali in libro, qui inscribitur: Magyarország története, különös tekintettel az alkotmánytörténetre (Historia Hungarorum respectu praecipuo ad historiam constitutionis). In serie: Történelmi olvasókönyvek (Libri historiae studendae compositi), redigit Sándor *Mika*, pars VI, Budapest, 1910., pp. 87—98.

VII. — De nostra editione.

Si codices manuscriptos immo autographos habemus, nostra ratio est eos quam fidelissime sequi, qua de causa non solum scripturam inconsequentem, sed etiam errores stili auctoris intactos incorrectosque reliquimus et tantum errores calami evidentes corrigere decrevimus. [Autographos codices habemus F (libri I. et II.), praeterea C et B et A (liber III.); codex Q, quem totum iam non habemus, descriptus est saeculo XVIII. de codice Wraciano autographo nunc iam perdito vel latenti et Supplementum continenti (quae ipsa folia codicis Q iam non habemus) et cuius editionem Kovachich nobis reliquit, praeterea de codicibus F et C.]

Non solum autem omnes codices (F, C, B, A, Q), sed etiam ambas editiones (k, s) accuratissime contulimus variantes lectiones ad scripturam quoque attinentes in Annotationibus Criticis fidelissime assumentes. Ceterum paulo inferius scripturam Wrancianam scriptura classica deviantem composuimus.

Edidimus libros I. et II. e codice F, sententias 1—85. libri III. (redactio III.) e codice C, sententias 86—173. libri III. (redactio II.) e codice B et sententias 174—82. libri III. (redactio I.) e codice A, Supplementum ex editione Martini Kovachich de foliis codicis Q perditis vel latentibus edita. — Ceterum libri I. et II. ultima descriptione carent, ultima lima autem carere non videntur, sententiae 1—85. libri III. ultima lima non carent, sententiae 86—182. libri III. ultima lima carent, Supplementum fortasse ultima lima non caret.

In Appendicibus Annotationum Criticarum edidimus e codice A textum redactionis I., qui in redactione II. in codicem B, et e codice B textum redactionis II., qui in redactione III. in codicem C transcripti sunt, quas partes Wrancius calamo delevit, folia autem abicere, quae potuisset, neglexit.

Nostro philologico sensui convenire non arbitrabamur Supplementum libro I. praeponere, quam traditionem solus codex Q a quodam librario saeculo XVIII. descriptus, cuius codicis haec ipsa folia perdita sunt vel latent, fulciebat, quamquam Supplementum et stilus Wracianus et argumentum libro I. praeponi (ut priorem partem libri I.) suadebant.

Marginalia codicis F non marginibus ascribi, sed separatim post textum edi optimum duximus. (Codex B solum marginale habet, quam simili modo post textum edidimus: III. 144.: Unde Siculi.)

SCRIPTURA.

Collegimus paene omnia vocabula — nomina propria autem omnia collegimus — Wranciana ad scripturam attinentia, quae scriptura, ut dicitur, classica differunt. Supplementum praeteriimus, quia eius textus non in autographo Wranciano, sed ex editione Martini Kovachich ad nostram aetatem remansit, qui textum non ex autographo Wranciano, sed e descriptione quadam (saeculo XVIII. facta, Q) edidit, scriptura igitur bis, dum textus ad nos translatus est, mutari potuit et hoc modo scriptura Wranciana in Supplemento stabiliri a nobis iam non potest.

Formas etymologicas — nonnullis exceptis — reliquimus; scripsimus igitur tantum ocium, aegisse, edificium et non scripsimus negotium, coaegisse, aedificare quoque. Scripsit igitur Wrancius:

ae pro e: adaeptus, aegisse (*et* egisse), Bohaemus (*et* Bohoemus *pro* Bohemus), caedere (*synonym.* sinere), caensus, caepisse (*et* cepisse *e* capere), caessisse (*et* cessisse), caeteri, faecundus, faelix, fraenum, haeres, plaerumque, praessus

ae pro oe: amaenitas, caepisse (*ex* coepi), Maesia (Mysia), paena, praelium

e pro ae: *decl. I. sing. gen. et dat. et pl. nom. nonnulla vocabula*: ample, Turce; edificium, erumna, Europeus, Hemus, pene (paene), Ptolomeus (*et* Ptolomaeus *pro* Ptolemaeus), tedium

e pro oe: cetus, confederatio (confoederatio), fedus -a -um, obedientia (oboedientia)

i pro e: intelligere (intellegere)

i pro ii: Mysi (*pro* Moesii)

i pro y: laziges (lazyges), Illirii (*et* Illyrii)

ii pro i: coniicere, deiicere, obiicere

o pro e: Ptolomaeus et Ptolomeus (*pro* Ptolemaeus)

o pro u: adolescens

oe pro e: Bohoemi (*et* Bohaemi *pro* Bohemi)

y pro i: chyrotheca, hyems, Syrmium, sylva, sylvester, Sylvius, Transsylvania (Transilvania)

y pro oe: Mysi (Moesii), Mysia

c pro ch: caracter (character), cronica (*et* chronica)

c pro t: induciae, inicium (*et* initium), iusticia, maesticia, noticia, nuncius, ocium, policia, preciosus, tercius, tristicia

ch pro c: charus

ch pro cch: brachium (*et* bracchium)

ff pro f: Affrica

l pro ll: Alobroges, Paulus, solennis (sollemnis), solertia

ll pro l: interpollare, millia, pallus -udis, polliticus

m pro mm: com- (com-m-): **comodus**, comodare, comutare (*sed* committere); im- (im-m-): iminere

m pro n: numcupare (*et* nuncupare)

mm pro m: amm- (a-m-): ammittere, ammovere; omm- (ob-m-: o-m-): ommittere

n pro nn: mercenarius

nn pro mn: solennis (sollemnis)

nn pro n: Dannubius

np pro mp: inprimis (*sed* imposterum)

p pro pp: Philipopolis (Philippopolis)

ph pro f: nephas

pp pro p: Appuli, dupplex, opportere, quoppiam (*sing. abl.*), reppellere

qu pro c: sequutus

r pro rr: mediteraneus (*sed* terreus)

rr pro r: ferrebam, ferrendus

s pro z: Zarmisegetusa (Sarmizegetusa)

ss pro s: Transsalpina (*et* Transalpina), Transsylvania (Transilvania)

t pro c: conditio, ditio, partior (*e* parcus), pernities, pertinatior, planities, suspitio

t pro th: Turingi

t pro tt: litera (*sed* litteralis)

th pro ct: author

th pro t: thorus

tt pro ct: cataphrattus

tt pro t: legittimus (*et* legitimus)

w pro vu: wltus (*et* vultus)

z pro s: Zarmisegetusa (Sarmizegetusa)

— pro h: Adria, Adrianopolis (*sed* Hadriacus)

BIBLIOGRAPHIA (ORDINE CHRONOLOGICO ORDINATA)

Kovachich, Martinus Georgius, Scriptores rerum Hungaricarum minores. Buda, 1798., tom. I—II., passim (v. superius [pp. XV—XVI.], ubi de editionibus locuti sumus).

Szalay, László (Ladislaus) - *Szalay,* László - *Wenzel,* Gusztáv, - *Wenzel,* Gusztáv - *Szalay,* László—*Wenzel,* Gusztáv, Verancsics Antal összes munkái (Opera omnia Antonii Wrancii) in 12 tomis. Pest, 1857.—Budapest, 1875. In serie Magyar Történelmi Emlékek - Monumenta Hungariae Historica - Scriptores, tomi II—VI., IX—X., XIX—XX., XXV—XXVI., XXXII — Tom. I.: Szalay, Pest, 1857. (Scr. II.) - Tom. II.: Szalay, Pest, 1857. (Scr. III.) - Tom. III.: Szalay, Pest, 1858. (Scr. IV.) - Tom. IV.: Szalay, Pest, 1859. (Scr. V.) - Tom. V.: Szalay, Pest, 1860. (Scr. VI.) - Tom. VI.: Szalay, Pest, 1860. (Scr. IX.) - Tom. VII.: Szalay, Pest, 1865. (Scr. X.) - Tom. VIII.: Szalay—Wenzel, Pest, 1868. (Scr. XIX.) - Tom. IX.: Szalay—Wenzel, Pest, 1870. (Scr. XX.) - Tom. X.: Wenzel, Pest, 1871. (Scr. XXV.) - Tom. XI.: Wenzel, Budapest, 1873. (Scr. XXVI.) - Tom. XII.: Szalay—Wenzel, Budapest, 1875. (Scr. XXXII.) (v. superius [pp. XVI—XVII.], ubi de editionibus locuti sumus).

Budai, Ferenc, Polgári Lexicon (Lexicon civile). Editio 2., pars III. Pest 1866., pp. 386—400.

Flegler, Sándor, A magyar történetírás történelme (Historia historiographiae Hungaricae). - Sayous, Eduard, A magyar történelem kútforrásai (De fontibus historiae Hungaricae). Hungarice interpretatus est József Szinnyei, Budapest, 1877. - Ambo opera in serie: Olcsó Könyvtár, no. 77—80., passim.

Fabritius, Károly, Erdélynek Honter János által készített térképe 1532-, ből (De charta geographica Transilvaniae ab Ioanne Hontero a. 1532. facta). Budapest, Academia Litterarum Hungarica, 1878. In serie: Értekezések a történelmi tudományok köréből (Dissertationes ad historiam attinentes), tom. VII., pars VII., passim.

Szabó, Károly—*Hellebrant*, Árpád, Régi magyar könyvtár (Bibliotheca Hungarica vetus). Tomus III., pars I—II., Budapest, 1896—98., v. Indices in parte II.

A *Pallas* nagy lexikona (Lexicon magnum Palladis). Tom. XIV., Budapest, 1897., pp. 774—75.

Sörös, Pongrác, Verancsics Antal élete (De vita Antonii Wrancii). Esztergom, 1898.

Apponyi, Sándor (Alexander), gróf (comes), Hungarica - Magyar vonatkozású külföldi nyomtatványok (De impressis exterarum nationum ad Hungarica attinentibus). Tomus I., Budapest, 1900., passim; v. Indices. — Idem Germanice: *Apponyi*, Graf Alexander, Hungarica - Ungarn betreffende im Auslande gedruckte Bücher und Flugschriften. I. Band. München, 1903., passim; v. Indices. *Apponyi*, Graf Alexander, Hungarica - Ungarn betreffende im Auslande gedruckte Bücher und Flugschriften. III. Band. München, 1925., passim v. Indices. (Tomus III. tantum Germanice.)

Marczali, Henrik, A magyar történet kútfőinek kézikönyve, Budapest, 1901. — Enchiridion fontium historiae Hungarorum, Budapest, 1902. *(sic)*, p. 410. (v. superius [p. XVII.] inter editiones particulares).

Beöthy, Zsolt (inchoavit et ducit), *Badics*, Ferenc (redigit), A magyar irodalom története (Historia litteraturae Hungaricae), ed. 3., tomus I., Budapest, 1906. — Articulus 20. ab Henrico *Marczali* scriptus: Humanista történetírók. A XVI. század történetirodalma (Scriptores rerum gestarum humanistici. Litteratura historica saeculi XVI.) De Wrancio pp. 253—55.

Szinnyei, József, Magyar írók élete és munkái (De vitis operibusque scriptorum Hungarorum). Tom. XIV., Budapest, 1914., coll. 1075—78.

Révai nagy lexikona (Lexicon magnum Révaianum). Tom XIX., Budapest, 1926., pp, 149—50.

Pintér, Jenő (Eugenius), Magyar irodalomtörténet (Historia litteraturae Hungaricae). Budapest, 1930., tom. I., p. 43., tom. II. Indicem.

Eperjessy, Kálmán—*Juhász*, László, Szemelvények a magyar történelem latinnyelvű kútfőiből. — Partes e fontibus historiae Hungaricae Latinis selectae. Budapest, 1935., p. 234. (v. superius [p. XVII.] inter editiones particulares).

Hóman, Bálint (Valentinus) — *Szekfü*, Gyula (Iulius), Magyar Történet (Historia Hungarica). Editio 6. Budapest, tom. II., 1939 (Szekfü), tom. III. 1938. (Szekfü), IV. 1936. (Szekfü) passim; v. Indicem in tomo V.

Huszti, József, Latin chrestomathia (Chrestomathia Latina). Budapest, 1940., p. 318. (v. superius [p. XVII.] inter editiones particulares).

Tündérország (i. e. Transilvania: Regnum divarum quarundam, quae dicuntur Hungarice tündér, circiter nymphae). 1541—1571. Oláh Miklós, Verancsics Antal, Heltai Gáspár, Mindszenti Gábor, Forgách Ferenc, Borsos Sebestyén, Bánfi Gergely és Szántó István írásaiból. Bevezette Kardos Tibor (E scriptis Nicolai Olahi, Antonii Wrancii, Gasparis Heltai, Gabrielis Mindszenti, Francisci Forgách, Sebastiani Borsos, Gregorii Bánfi et Stephani Szántó. Introduxit Tiberius Kardos). In serie: Erdély öröksége. Erdélyi emlékírók Erdélyről. Ravasz László bevezetésével, Cs. Szabó László közreműködésével szerkesztette Makkai László (Hereditas Transilvaniae. Scriptores Transilvani de Transilvania. Cum introductione Ladislai Ravasz, cum collaboratione Ladislai Cs. Szabó redegit Ladislaus Makkai). Tomus I.: Tündérország. Budapest, s. a. (1941.), pp. XXIV., XXVI., XXXI., XXXIII., 157—58. E libro III. sententias 121—82. Ioannes Szilágyi Hungarice interpretatus est: supple in partem superiorem (p. XVII.), ubi de interpretatione Hungarica locuti sumus.

ANTONIUS WRANCIUS SIBENICENSIS DALMATA

EXPEDITIONIS SOLYMANI IN MOLDAVIAM ET TRANSSYLVANIAM LIBRI DUO.

DE SITU TRANSSYLVANIAE, MOLDAVIAE ET TRANSALPINAE LIBER TERTIUS.

LIBER I.

BELLUM PETRI MOLDAVIAE VAIVODAE CUM SOLYMANO

Quum de Solimani caesaris expeditione circiter Nonas Iulias 1
anni 1538. allatus esset ad Ioannem regem nuncius affirmareturque
Transsylvaniam primum, dein Moldaviam occupatum venire, non
parum trepidatum est multumque ac diu, quaenam causa ipsum
impelleret, sollicite agitatum. Alii iratum Ioanni regi, quod cum 2
Ferdinando Rom. rege pacem fecisse diceretur, existimabant ven-
turumque, ut eum regno privaret, affirmabant veritum, ne Chri-
stiani principes ipsius opera atque ductu expeditiorem contra se
aditum haberent; alii, quod in gratiam Sigismundi Poloniae regis
Petrum vaivodam, qui illum assiduo et iniquo bello vexabat, in-
hibendum puniendumque in animo statuisset. Plures, quod Aloysii 3
Gritti ac duorum eius filiorum Antonii et Perini interitum ulturus
bonaque ipsius tunc temporis direpta repetiturus esset, opinaban-
tur, idque quum a Transsylvanis, tum vel maxime ab ipso Mol-
davo, qui et necandi Aloysii Gritti Transsylvanorum animos acce-
nderat, quod suspectum appetiti regni Hungariae et Moldaviae
habuerat, et liberos eius innoxios ad se per suos adductos ne-
cari iussisset.

Tandem adveniente iam caesare et ommissa Transsylvania 4
ac Transalpina recta in Moldaviam pergente liquido constitit tum
hoc eius itinere tum legatorum Transalpinensium testimonio et
multorum exploratorum relatu neque interfecti Aloysii Gritti causa
inductum venire, quem sciebat cum Ibraino olim primario passa
multas res novas molitum et potius ex sententia sua esse occi-
sum, quod haud ita multo post Ibraini mors confirmavit, neque
Poloniae regis vocatu, quum princeps ille ea sit integritate, ea
prudentia, ea modestia atque in rempub. et fidem Christianam
amore, ut nunquam armis infidelium contra suum Christianum ho-
stem quamvis infensum atque adeo cervicibus imminentem uteretur,
verum sola Ioannis et Ferdinandi regum concordia, quae licet
nondum erat publicata, vehementer tamen ea angi ferebatur, quod
suspectam habuerat propter Caroli imp. oratorem, qui superiore
anno bis pro ea componenda ad Ioannem regem in Hungariam
venerat, et odio Petri vaivodae, quo iam inde in illum a multis

annis contracto ardentissime deflagrabat, nonnihil etiam sua ipsius causa ac potissimum, quemadmodum pro comperto affirmatum est, boiaronum, ita enim Moldavi proceres nuncupantur, petitione assidua.

Nam, ut plura praeteream, pauca dumtaxat re ita poscente, quod haud libens facio, ne potius maledicta serere, quam historiam texere videar, de eius non adeo sinceris moribus ac vitae institutis attingam, quae ipsum pessum dederunt et irae Solimani caes. obnoxium fecere. Quippe qui adeo mobili varioque ingenio 6
extitit, ut nulla res magis in eo desideraretur, quam integritas, illudque commode in ipsum torqueri potest, quod alia stantis, alia sedentis erat sententia. Dupplexque et obliquus in omni re ferebatur ne in amicos quidem rectus. Fidei vero candorem tam 7
frequenter labefecerat, ut nulli iam vicini, nulli socii principes iuramentis eius crederent, tumque magis ab eo cavebatur, quum maius praebebat iusiurandum, quod vel ex phederibus Sigismundi Poloniae regis, quae saepius infregit, et his belli temporibus, quae inter Io. regem et Ferdinan. viguerunt, cognovimus. Iis enim ambobus sese fide, more maiorum, quum Moldavia in ditione regum Hungariae censeatur, obstrinxerat.

Quo vel in Aloysio Gritti verum fuisse egregie demostravit. 8
Is enim, quum proximis annis ex Turcia in Transsylvaniam per Transalpinos infaustis fatis veniret metueretque tum a Transsylvanis tum ab ipso Moldavo, a quo dudum tendi sibi insidias ob causam, quam superius memoravimus, perceperat, amicitiam eius, puto, arguente conscientia, quod multa, ut vulgo ferebatur, pernitiosa mente agitabat, poposcerat. Qui visa potiundi voti sui occa- 9
sione haud cunctatus nullam fidei partem, nullum iusiurandum, nullum sanctorum numen apposita euangelio dextera praetermisit, quo se illi in omnem amicitiam obnoxium non fecerit, ad securitatem eum non animaverit, et non solum non nociturum, verum etiam omnibus rebus suis auxilia praestaturum affuturumque etiam praesentia sua pollicitus est. Atqui postea, quum ob interemptum 10
Emericum Cibacchum episcopum Varadiensem ac tum temporis Transsylvaniae locumtenentem et oratorem publicum, qui ad excipiendum illum honorifice regio nomine tam longe profectus fuerat, virum certe clarum et militarem, affines eius atque amicos tum opibus tum authoritate in eo regno praevalidos contra se ad arma concitasset vimque ipsorum in campo non sustinens in oppidum Meggies sese recepisset ac inde post acrem magis quam longam oppugnationem accepto oppido in agmen Moldavi, quod muris suberat, praelato erecta manu fidei chirographo Grittum se esse vociferans et salutem implorans profugisset, ille omnium sacramentorum oblitus divis spretis ac religione posthabita fefellit infelicem, quandoquidem nec ipse, ut promiserat, in persona venerat, et mox a suis militibus, quibus id flagitii praecaeperat, fuit comprehensus, spoliatus ac in vincla ignominiose coniectus, exactis dein haud multis diebus, quoniam Ioannem

regem, cuius interim crebris literis et mandatis de conservando a morte non paruerat, per se Buda liberandi eius gratia in Transsylvaniam maximis itineribus festinare intellexerat, quam citissime fieri potuit, necandum tradi imperavit.

Porro et Petrus Mold. vaivoda tanta audacia atque arrogantia 11
sumpta iamque et vicinis principibus et caesare Tur. spreto in suos quoque crudelius desaevire, quam pro dominii sui magnitudine incaepit. Consiliariis enim ac boiaronibus honor debitus 12
non habebatur, sententiae ipsorum non admittebantur, immitibus imperiis regebantur, gravissimis exactionibus premebantur et in bella assidua contra vicinos non necessitate, sed superbia aut lucri gratia, dum provincialium peculium conferre egit, excitata cogebantur, multos praeterea regno, plures officio ac dignitate summovit. Quosdam etiam non illorum vitiis infensus neque capitali 13
crimine offensus, sed natura sua mala corruptus interfecit. Omnibus denique primoribus iuxta ac plebeis dominatione erat iniurius, congressu difficilis, elatus, inexorabilis pronusque in gravissimas illorum poenas etiam pro levissimis commissis.

Proinde et consanguineorum marium vitae tum dolo tum 14
aperto satellite insidiatus est neque a fraterno sanguine manus abstinuit, quo securius ab aemulo solus dominaretur. Nam duo 15
caeteris ademptis in Turcia latebant, quorum alterum blande ac specie fraternae pietatis evocatum tamquam inopiae illius misertus daturusque esset locum conditionis eius honestandae dignum et vitae sustentandae modum naso prius mutilari, dein strato tapeti impositum honorifice magna astante procerum corona luctumque ac maestitiam prae se ferens et poculo pro felici eius ad superos itinere propinato fecit iugulari, postea gloriose facinus efferens neminem ad illud temporis ex familia sua diem solennius obiisse iactatus est. Quod certe scelus sicut est plus quam 16
barbaricum et ab ipsis etiam brutis alienum, ita huius gentis Moldavae ac Transalpinae proprium est et usu iam non improbatum. Id ipsum etiam a multis Tur. caesaribus factitatum acce- 17
pimus, quemadmodum de Selimo et aliis prioribus historiae prodiderunt. Alterum vero commisso per fraudem hoc flagitio perinde atque admonitum, ut caveret, nunquam decipere potuit et semper suspectum habuit. Isque est ille, quem nunc caesar ei substituit.

Quapropter, dum sic saevire non cessat indiesque magis ac 18
magis insolescit et regno, cui, ut bonus princeps, pace, quiete, lenitate, iusticia ac reliquis eiusmodi commodis prospicere debeat, ut spolio abutitur, boiaronum paulatim ab se tum studia tum amorem avertit. Et quanquam agrestes homines sint ac bar- 19
bari faciliusque serviunt, quam caeterae nationes, quae pollitice vivunt, in odium tamen et metum comutato amore, quum alioqui et ipsi libertate sua gaudeant ac suis certis quibusdam legibus continentur nec penitus ordine ac decoro honestoque potius a natura quam a scientia demonstrato careant, caeptum

est secreto prius inter paucos eosque potiores, mox inter plures agitari, quonam pacto ipsius tantam tyrannidem reprimerent seque a servitute vindicarent. Dehinc super haec longa ac varia consul- 20
tatione habita nullum opportuniorem modum, quo id consequerentur, excogitare potuerunt, quam si cum caesare Tur. de his ageretur, quippe cui sicut stipendia quotannis penderent, ita quoque sub imperio et in potestate ipsius sese esse non ignorarent neque dubitarent hanc illum liberandi se curam facile susceptum, praesertim quod et ipse male atque hostiliter apud eum audiret.

Itaque quum a multis iam retroactis annis saepius de his cae- 21
sarem clam certiorem fecissent, immo quotidie pene de omnibus etiam minimis, quae vel contra se crudelius aegisset vel in ipsum elatius fuisset obloquutus, admonuissent petiissentque supplices, ut illum a tanta saevicia cohiberet neve pateretur sic eos pro libidine sua, quoquo modo collibuisset, affligeret et simul cogeret, ut unumquemque pro conditione ac libertate sua more maiorum haberet seque mitius ac benignius erga illos gereret, nihil magis indecorum esse asserentes, nihil, quod minus deceat hominem principem, quam crudelitas, caesar ipse, tametsi inicio his non mediocriter offenderetur, cognita tamen vesania mentis eius et procacitate linguae, quodque magis animi morbo laboraret, quam iudicio duceretur, non magni faciebat, quaecunque ab eo in se dicta intellexisset. Nihilominus tyrannidem, qua erat in populos, graviter et 22
iniquo ferebat animo ac interea temporis medio legatorum suorum frequenter illum monuit, petiit, rogavit, vellet suis lenius praeesse, tam acerbe in subditos non animadverteret, crudelitate non extingueret, iusticia regeret, in amore et officio contineret sciretque vitam mortalium beneficiis, amore atque concordia constare, labefactari dissensione, odio ac terrore nihilque pernitiosius esse principibus, quam a suis populis non amari.

Id ubi caesar semper frustra fecisset et nil aliud legati soliti 23
essent referre quam verba, Petrus vero ab instituto suo non discederet, iratiore tandem animo hominem aggressus bello etiam persequuturum se, ni furere desisteret, minatus est. Iamque, ut 24
accepi, dudum hanc fortunam tentavisset vel solius Transsylvaniae gratia, quam omnes Turcarum caesares propter soli fecunditatem ac auri, argenti, ferri, plumbi et salis uberrimarum fodinarum copiam plurimum inhiaverunt. Sed veritus Solimanus, ne, 25
quum aut Transsylvaniam aut Transalpinam aut Moldaviam occupare niteretur, omnia haec regna in unum coirent seque partim per insidias, partim, quod itidem haud dubie credendum, per vim opprimerent. Quandoquidem asperrimis montibus, impeditis- 26
simis sylvis, maximis rupibus, rapidis fluminibus ac dubii vadi torrentibus viisque ac semitis angustissimis munitissima sint habeantque equitatum prope ad admirationem numerosum et gentem rusticam ad affligendum hostem in eiusmodi locorum difficultatibus adeo expertam, adeo strenuam, ut, qui non videre,

difficile ad credendum induci possint. Vestiti enim panno quo- 27
dam fusco vili ac supra modum villoso galeroque eiusdem generis in formam metae acuminato tecti et perone calceati, wltibus vero nigri ac propter barbam crinemque promissiorem et impexum soloque armati sparo et falce sudi alligata incredibili agilitate per eos saltus ac montes late magno numero discurrunt et hostium primis, mediis ac ultimis agminibus iuxta passim inferuntur, noctes etiam totas, quibus impensius tum furtis tum parvis praeliis lacessunt, vigiliis cogunt exigere. Ne- 28
que praeteribat eum, quae et quanta ex Hungaria, quam nondum totam deleverat, et ex Germania ab aliisque vicinis nationibus auxilia venire potuissent quidque efficerent, si iis unitis ipsi quoque adiungerentur. Quare in hunc modum haec secum expendens 29
nunquam aggrediendi hanc expeditionem satis habuit animi maluitque honeste sub praetextu amicitiae Ioannis regis Transsylvania carere et eius ac Moldavi muneribus dumtaxat frui, Transalpini vero quotannis tributa legere, quam intempestive non observata occasione apta et secura eas provincias penitus subiugandas attentare. Verumenimvero permotis boiaronibus contra Petrum vai- 30
vodam ultimo odio, ira ac dolore, quod adeo ipsius superba imperia diutius perpeti nequirent, aggressi sunt rem, quaecunque fortuna succaederet, serio agere tandemque placuit ad Solymanum caesarem occultos legatos mitti idque saepius, qui edocerent, eos non iam instare, ut Petri scelera ac perversum vitae institutum monitis aut minis imposterum compescere et errata emendare laboraret, quandoquidem frustra id conaretur, utpote qui in hoc detestabili genere morum iam pridem occaluisset sed supplices orare, petere, implorare, totis viribus contendere, ut, si opis auxiliive seu beneficii apud eum quid consequi possint neque velit illos aut sedibus suis emigrare et alii nationi eas tradere aut externum principem quaerere, qui se ab intolerabili hominis huius dominatione vindicet, veniret in persona et non tantum eos libertati restitueret, sed suas quoque ipsius iniurias ulcisceretur. Cae- 31
terum sciret eum indies belli vires comparare nec in alium quam in Ottomanum genus illas insumpturum passim iactari, se vero in ipso praecipuam spem habere, eius clementiae constanter fidere, polliceri se duces itineris futuros illumque in regnum summa fide, unanimi consensu, omnium studiis ac votis recepturos. Nullas insidias, nulla cuiuspiam arma formidaret, Transsylvanos 32
imparatos esse et huius negocii penitus ignaros, ad illum se universos venturos et imperata eius facturos atque in ipsius potestatem omnia oppida, arces, munitiones, demum arma, militem et totam Moldaviam daturos; ab eo haec tantum cupere: Petrum pro hoste haberet, dominio pelleret, alium vaivodam gentis suae virum illis praeficeret, a caede abstineret, fortunas non diriperet, regnum pro se non occuparet, uxores ac liberi essent inviolati et a captivitate tuti suisque iuribus, legibus ac fide uti sineret, tributa vero et dona pactis maiorum suorum sancita acciperet hisque contentus esset.

Solymanus quamvis sub illud tempus cura omnium maxi- 33
ma occuparetur, quum ab una parte armis regis Persarum, quem Zophy nostra aetas appellavit, distineretur, contra quem filium natu maximum cum ingenti milite dimisisset, angeretur ex alia expectatione belli omnium Christianorum, qui cognita eo anno inter Carolum Rom. imperatorem et Franciscum Galliarum regem pace, in quibus summa rerum Christianae unitatis constabat, erectissimis animis propensissimoque voluntatum ac desideriorum consensu in mutuum faedus atque amicitiam Paulo III. pont. max authore concesserant expeditionemque universalem adversus Turcas conceperant et magna celebritate edixerant iamque numerosam in Graeciam classem habebant, illi vero delectioribus ac non parvis praesidiis esset Constantinopolis firmanda, classis apparanda et terrestres copiae instruendae, quae omnia uno tempore perficere magni certe negocii res esse videbatur, multa tamen illum hortabantur, quare, quae ultro a fortuna offerebantur, non segniter suscipienda sibi putaret et in eam curam tota cogitatione incumberet, imprimis iniuriae, quas a Petro vaivoda acceperat, deinde boiaronum tanta contra ipsum odia, in se tam propensa studia et adventus eius tam ingens desiderium. Considerato post- 34
ea partim bellandi usu ac ratione intellectoque, quod instanti anno praeter apparatus ac praeludia quaedam dumtaxat futuri belli essent praecessura, partim quoniam regna sua fortiora tutioraque fore arbitrabatur, si occasionem complecteretur praesertim Christianis res novas tunc temporis mollientibus ac si ita, quod diu optavit, et Transsylvaniam propius aliquod gradus accaederet et undique in eam patentem aditum haberet, sicut et in Transalpinam et in fines totius inferioris Hungariae habebat, Moldaviam vero quemadmodum hactenus altero pede, nunc utroque pressam atque adeo pugno correptam teneret, ratus itaque id totum e re sua et a consiliis ac votis suis haud esse alienum illudque Christianorum latus prorsus infirmum et armis ipsius semper apertum ac opportunum fore boiarorum petitionibus acquievit et benigno atque optato responso confirmatis omnium animis et se venturum ac Petri vaivodae tyrannidi finem facturum pollicitus, si adhuc semel revocare a pertinacia tentaverit, legatos dimisit iussitque in patriam celeriter contendere, neu operi ac fidei promissae desint, et, quam maturrime, ubi id consilii placuit, facto, quum ad rem ventum erit, exequantur, sedulo commonuit.

. . magno Hectore aut Hercule digna neque Christiano 35
principi adversus Turcum indecora, sed ipsi impar, calamitosa, exicialis Nam sub haec legatorum alter prolatis e sinu literis conversusque ad boiarones, quinam inter eos principem post vaivodam locum et authoritatem obtineret, percontatur. Cui Theo- 36
dorus logoffeth, sic enim Moldavi supremum cancellarium appellant, qui primae apud eos authoritatis censetur, respondit se illum esse. Et is, Sume, inquit, has literas; caeterum Solymanus caesar 37
potentissimus imperat, ut mox cum reliquis iis boiaronibus tecum

hic assistentibus Petrum vaivodam comprehendatis et vinctum ad illum perducendum curetis nihil vitae, regno, libertati ac fortunis vestris metuentes, quandoquidem sciretis sublato huius dumtaxat capite (Petro ostendens digito) vobis per caesarem universa cetera integra ac salva fore. Secus si faciundi est animus, vos quoque una cum ipso luetis poenas.

Ad haec boiarones et pro principis praesentia honeste pru- 38
denterque, ne quid insidiarum, quas struxerant, incaute detegerent, et pro iracundia caesaris satis venerabundi ac paucis responderunt hostili se animo erga caesarem non esse paratosque et nunc et imposterum facere ipsius imperata ac, si delicto quoppiam illum offendissent, pro venia supplices tanquam apud clementissimum principem instare; verum capere et vincire Petrum principem suum legitimum nulla illis ratione per fidem, per honorem ac ius gentium licere, nisi in perpetuo ludibrio et abominabili dedecore vitam, quae superest, velint agere posteritatique suae nationis sempiternam notam relinquere; quod alioqui credunt tam prudentem ac benignum caesarem ab eis non optare, in cuius manu tam ipsi, quam eorum princeps semper existant, neque se arma ipsius effugere posse.

Dimissis legatis Petrus ubi cognovisset caesarem infestum 39
sibi adesse, vitam suam in extremo sitam discrimine, fortunas item ac statum periclitari eoque processum esse, ut regnum aut per ignaviam relinquat aut strenue armis retineat, ratus Christiano principi nihil antiquius, nihil laudabilius esse debere, quam pro fide pugnare et fortuna volente etiam cadere, copias, quas dudum ad primos rumores paraverat, in unum cogit et caesarem Solym. arcere ab ingressu Moldavie omnino decernit ac etiam, si contingeret, impigre se cum illo pugnaturum profitetur. Quod alioqui 40
necessario quoque faciundum erat, quem sciebat iam nec precibus nec muneribus placari posse; tantam illum in se iram atque indignationem concepisse intellexerat.

Mature itaque pro re ac natura locorum omnes vias ac semi- 41
tarum angustias, quibus hostis transitum in regnum arbitrabatur habere posse, quandoquidem Moldavia summis et asperrimis montibus undique circumvallatur, intercisis arboribus per longissima spacia et latissimos tractus complet ac praecludit. Annonam praeterea ex agris subducit, reliquum, quod tempus non sinebat, comburit. Pecora, armenta atque equitia, quorum ingentem habet 42
Moldavia copiam, in deserta loca abigit et vicos omnes disturbat. Ipse delecto sibi aequo et ad expectandum hostem opportuno loco cum instructiore milite consedit, reliquam turbam, quae non mediocris erat, pecori agendo, quam colendis belli artibus aptiorem per montium ac vallium anfractus aliaque impedita et saltuosa dispertit iubetque, ut ingredienti hosti nullibi non desint dentque operam, quo eum crebris eiusmodi transversis invasionibus passim diducant ac divexent et, quantum possint, caedant; fore, ut minus ipse negocii acciperet, si cum integro exercitu non

congrederentur, secumque etsi non virtute, militum numero parique apparatu bellico certare nequeat, dolo saltem et adversis locis contendat vel, si fieri possit, ita obstet, distineat ac remoretur, ut in hyemem, quae iam appetebat, praelium differret sperans illum tum frigore et nivibus, tum incongruo ad bellandum tempore locorumque difficultatibus adactum infecta re reversurum. Interim 43
autem pene quotidianis nunciis Ioannem regem, in quem plurimum spei collocaverat, quod fortunae socius erat, nam et illi Solymanum caesarem iratum ob pacem cum Rom. rege Ferdinando (ut diximus) factam affirmabant, consilium petebat, quidnam esset acturus, et, ut etiam auxilio esset, orabat, quandoquidem omnino magnitudine tanti hostis terrebatur.

Ille, ut erat princeps animo Christianissimo, ingenio magno, 44
prudentia singulari et rei bellicae experientia summa, caesari facultatem praelii nequaquam faceret, suadebat ex eo, quod per se illi non sufficeret, quem certis authoribus acceperat amplius centum quinquaginta millia Turcarum habere in castris, Tartarorum parem ferme numerum ac non mediocrem Transalpinorum manum, quos uti tributarios et quos in potestate iam pridem habuerat, in bellum coegerat, bombardas vero CCXXV, quum ipse Petrus vix LXX millia hominum conscripsisset et illos hebetes, rudes, male vel saltem sagittis aut solo gladio armatos et thoracatos admodum paucos reque militari Turcis aequiparandos minime, bombardas autem nullas. Sed boiaronum ac militum 45
uxoribus, liberis caeteroque populo inutili bello ac praedae apto in loca tuta transmissis, quorum copiam in finibus Transsylvaniae liberaliter faciebat, uxori etiam ipsius ac filiis Bistriciam civitatem egregiam et reliquarum in Transsylvania prope munitissimam offerens duppliciter consulebat inprimis, ut aut cum toto milite suo in Transsylvaniam mox appropinquante iam caesare veniret aut, si id minus deceret, ne regnum deseruisse accusaretur, parvo intervallo antecaedendo illum fugienti similis capessentique agendae rei opportunitatem praelio nequaquam concesso, sed velut pugnaturus, quamdiu fieri possit, fatiget post se et, ubi demum hoc stratagemma procedere desierit, dimisso eo, quanto iniquiore loco possit, maturet nihilominus ad se in Transsylvaniam ac ibi coniunctis armis ac viribus operiantur; fore, ut hoc intellecto vel revertatur pugnare non ausus vel, si progredi et invadere illos vellet, securius animoque praesentiore ipsum exciperent, quum etiam Transalpinorum vaivoda id facturum sese per legatos suos receperat, cui iuxta ac illis periculum imminere constabat. Quod 46
si Moldaviam ita nudam et homine spoliatam occuparet neque ea decaederet, promittebat se illa ipsa vi atque animo in Moldaviam caesari obviam iturum, quo in Transsylvania expectasset, et ipsum Petrum deo iuvante in patriam reducturum ac in pristino dominio collocaturum fretus vel hoc, quod et reliqui principes Christiani in mutuam concordiam tunc temporis venerant ac ineunte vere negocium Turcae facessere cogitarent.

Ipse Petrus, licet consilium placuisset et facturum sese, quae 47
consuleret Ioannes rex, recepisset, tamen seu temeritate ac superbia, qua erat, barbarica agitatus, quum assidue vires Solymani caes. ex quadam consuetudine per contumeliam deprimebat, seu Transsylvanis non confisus, quod eos saepe alias multiplici bello vexaverat, quamplures ex potioribus sustulerat, iniuriis totam nobilitatem adeo enormibus, quamdiu in dominio fuit, semper affecerat, ut enumerare difficile esset, Bistriciae vero ac Brassoviae fines omneque Siculorum solum utpote Moldaviae contiguum ferro flammaque non semel vastaverat, Cibinium autem urbem Transsylvaniae caeterarum facile praecipuam, dum Ioanni regi pertinatius resistit, magnis pollicitationibus, quo tempore is in Polonia erat exul, sollicitatam occupare conatus fuerat, neutrum fecit.

Sed, quemadmodum frequenter usu venit, ut male moratis in- 48
sit comes imperitiae, ita et consilia illorum plaerumque in deterius caedunt, neque pro re nata, quid agendum sit, valeant opportune statuere. Etenim tum fortuna tum fato suo ita volente iam Soly- 49
manus caesar a fronte occurrebat, a tergo Sigismundus Poloniae rex instabat, ab utroque latere hinc urgebant Transalpini, illinc premebant Tartari et, in quem prius arma proferret, dubia deliberatione conflictabatur tandemque contra Sigismundum regem prodire decrevit eo potissimum, ut ferunt, consilio, quo secum sive dimicet et bello, quod minime, ut aiunt, iustum et pro quibusdam exiguae frugis finibus adversus illum diu gesserat, ultima victoria aut clade seu pace perpetua finem faciat. Quod equi- 50
dem magis affirmarim, quia Ioannes rex tum, quod amicus pacis semper extitit, tum, ut Petrus vaivoda pacatis cum Polono rebus suis contra Turcam valentior efficeretur, legatum suum Emericum Bebek virum eximium et nobilem ad Poloniae regem pro ea componenda dimiserat, quam si Petrus obtinere potuisset nihilque a Polonis formidaret, sciebat se maiore coniunctioreque milite in Turcas posse converti. Verumenimvero obtenta ea ex 51
animi sententia citra omnem controversiam secus, quam cogitaverat, accidit. Nam rex Poloniae, quod nulli dubium est, omnino 52
ab illo abstinuisset, quamdiu rem cum Turca transaegisset, sed hoc interim dum ille male consultus et ignarus boiaronum fraudis intempestive circa haec dies magis necessario operi impendendos terit, cognitis caesar, quae legati a Petro retulerant, illico movit castra et prius lacu quodam e ramo Dannubii effecto, deinde amne Pruth ponte coniunctis et pertransitis spe omnium praesertim Petri vaivodae celerius ad arcem Zuchwam caput Moldaviae ac vaivodarum sedem in ulteriore ripa fluvii Zereth positam nec natura nec opere nec viris munitam pervenit et mature in ordines acie exornata nihilque, quod ad praelium ineundum opportunum videbantur, praetermisso, dilata arcis oppugnatione misit exploratum, an aliquis hostis reperiretur essetne quispiam facturus pugnandi copiam. Verum, ubi nullum et ne 53

unum quidem armatum invenisse cognovit, positis castris et communitis circum Zuchvam consedit et ibi promissorum, quae boiarones ei fecerant, visum est finem expectare. Interim vero qua Turcae qua Tartari, ut fert mos militaris et victorum ius, principio passim discurrere, cibaria ac pabulum quaerere, loca discere, postea omnia obvia igne consumere, omnia vastare, replere caede, praedam agere, nulli rei integrae parcere. Perlatis 54
tamen his ad caesarem tanta integritate illum esse dicunt, tametsi paganus sit, ut revocato in memoriam, quod a depopulando regno et vastitate edenda temperaturum se recepisset, extemplo acerrimis edictis prohibuit eos a damnis inferrendis iussitque omnes intra munitiones sese continere, donec, quid facto vellet, ediceret.

Atqui, ut facilius reliqua prosequamur, pauca sunt hic inse- 55
renda de Valacchorum matrimoniis, quam scilicet parvi ducunt tum eorum tum caeterarum necessitudinum consanguinitatumque vincula. Licet enim eis omnibus communiter et duas et tres uxores habere, nobilibus ac potioribus etiam plures, vaivodis vero, quot volunt, liberum est. Quare quum ii unam habeant, quam et indi- 56
viduam sociam appellent et tum dominationis titulo tum authoritate dignitateque sua ac praecipuo honore ante alias dignent eodemque contubernio servent, tamen illarum quoque liberi nihil obstante, quod concubinarum speciem prae se ferant, aeque chari sunt atque huius et omnes pro legittimis habentur successiones-que dominationis sortiuntur. Verum omne horum vaivodarum 57
genus praesertim Transalpinensium perpetuo in sanguine crudelitateque versatur. Nam ubi quis eorum in eum apicem evaserit, caeteri, qui esto, quod faterno aut quovis alio affinitatis gradu ipsos contingant, parentes dumtaxat soli filiis, filii parentibus parcunt, ad unum, nisi velint mori, in alienas terras dilabuntur, qui vero intercipi possunt, aut necantur per hunc aut, si pietas forte parricidio abstinere suadet, naso saltem mutilantur, qua nota insigniti paterni dominii successione privantur.

Ea autem tempestate erat in aula Solymani caesaris Stepha- 58
nus quidam nomine, filius Stephani olim Moldavorum vaivodae magni et strenui inter Valacchos viri, qui Matthiae Hungariae regis temporibus egregia contra Turcas facinora ediderat, Petri vero huius ex patre germanus frater diversa matre genitus, quem, dum is percitus libidine dominandi, neu suos de occupando regno suspectos habeat, ad necem quaereret, Constantinopolim adegerat. Quandoquidem haec duo utriusque Valacchiae dominia ea 59
barbarie, ea feritate sunt, ut et fratribus, quemadmodum diximus, a fratribus et reliquis necessariis omnibus, aliis ab aliis plurimum est metuendum, ne aut perditorum hominum ductu aut cuiuspiam vicini hostis suasu seu auxilio freti vitae ipsorum insidientur et scelere huiusmodi viam ad dominium occupent. Quod, 60
ut alios Turcarum caes. praeteream, Baiazetto quoque eius nominis secundo olim accidisse memoriae proditum est, quem Selymus filius ianizariorum studiis ac favore elatus imperio depulerat

et veneno extinguendum curarat. Quare hunc Stephanum Solymanus caesar vaivodam creat vel, quod esset a Moldavis expetitus, quod non constat, quum, ubinam gentium ageret, ignoraretur, vel, quod res suas firmiores ac provinciam illam semper in eius manu fore existimavit, si, postquam ipsi Turcam ob datam fidem non licebat praeficere, eum saltem hominem praeficeret, quem plane sciret memorem gratitudinis fore propter acceptum beneficium et omnia iuxta voluntatem ipsius facturum atque a quo non magnopere vereretur, quod in Turcicos ritus ac mores degenerasset, dominari non didicisset, ambire nesciret neque Christianorum principum amicitias sibi paravisset. 61

E vestigio itaque ad omnes ordines missis nunciis legitimum se illis vaivodam designasse significat, cui ut universi Petro vel extincto vel derelicto adhaereant, ad propria redeant, arma deponant, iubet et, ut nihil timeant, fidem facit. Ad haec vitam et impunitatem omnibus, si qui hostiliter contra se quippiam aegissent, condonat. Libertatem insuper, iura, fidem, patriam ac fortunas, uti prius habuere, salva atque integra fore promittit affirmans se solius puniendi Petri vaivodae gratia venisse, cuius superbiam caeteraque flagitia ulterius ferre nequivisset, et simul perquirendum summa cum diligentia quam plurimis provinciam iniungit, quique occisi caput attulisset, magna praemia, qui vivum adduxisset, maxima pollicitus. Ac dum haec ita per hostem geruntur, Petrus horum omnium penitus ignarus ratusque caesarem adhuc apud Dannubium sedere, lentius, quam periculum postulabat, rei suae prospiciebat et a Polono regredienti mox passim nuncii alii post alios occurrere incipiunt, omnia luctuosa, funesta omnia, Turcas in visceribus Moldaviae esse, Zuchvam obsessam, novum vaivodam designatum, solum Petrum ad mortem quaeri, Solymani gratiam atque edictum narrant. Nec prius ille inops animi ad credendum induci potuit, quam Turcas huc illuc populabundos circumcursare, miseros colonos vagos ac palatos, quo dabatur in re tam trepida diffugere, se ab suis audita caesaris gratia paulatim deseri ac dissipari copias vidit omnesque etiam reliquos, nescio, quid tale, abiecta solita alacritate tacitos vultibus significare animadvertit. Circumventus itaque tot difficultatibus ac pavore perculsus, quum et pedem referre periculosum esset et progredi contra hostem, qui iam omnia complerat, praecipue sic diminuto exercitu boiaronibus etiam ad defectionem nutantibus secure nequiret, tunc demum proditum se esse cognovit et convocatis ad se potioribus nulla huius suspitionis mentione habita, verebatur enim, ne, si ipsorum hoc flagitium scire se detexisset, pudore adducti interitum eius accelerassent, sed astu communem calamitatem adesse, quoque modo propulsaretur, memorans haec ad eos verba fecit. 62 63 64 65 66

Quo nunc, inquit, res nostrae sint loco, iuxta vos, atque ego, cernitis. Casusne, an consilium, an divina voluntas in has angustias nos perduxit, non satis scio. Illud certe non ambigo me una vobiscum in extremo rerum communium limite a fortuna esse 67

collocatum. Verum, quoniam virtus humana in rebus arduis plae- 68
rumque magis enitescit et consilium dubiis casibus opportune adhibitum saepe salutem parere, ignavia etiam securis pernitiem afferre consuevit, agite, consulite, quid agendum sit, prospicite: communis res agitur. Milites, qui exercitum deserunt, continete, 69
spe meliore omnes erigite, promissis maioribus confirmate et, si ita videtur, paulum pedem referamus. En, hic mecum thesaurus est. Non parcamus rei, etiamsi non utemur, periturae. Augeamus militibus stipendia, novos et plures conscribamus. Multa adhuc 70
restant, quae nos his malis eripere poterunt: deus inprimis et virtus vestra, deinde hyems, nives, frigora, locorum iniquitas et annonae inopia, quam ex industria corrupimus, quo hostes facilius frangantur, et quidem frangentur, si diutius non habito praelio in hac terra nostra perseverabunt. Quid vero auxilii nobis ex 71
Transsylvania sperandum sit, neminem vestrum latet. Legati nostri attulerunt, quantum Ioannes rex ex Sclavonia, ex Croacia, ex Hungaria, ex Germania, ex Hispaniis, ex Slesia et Moravia, ut Bohaemos ac Polonos praeteream, iam apud se militem habeat. Et quid nobis salubrius esse aut consultius potest, quam eius 72
uti consilio, ne scilicet cum caesare Solymano conflictum habeamus, utpote ipsi impares, sed astu tantum circumducamus, fatigemus mora et spe pugnae ac locorum asperitate distineamus; fore, ut aut opinione sua decaeptus recaedat aut pacis induciarumve conditiones nobiscum nobis haud incommodas ineat.

Haec et similia in hunc modum postquam disseruit, boiaro- 73
nes responderunt nimis sero id iam esse nec posse fieri, quoniam omnes milites dilapsi essent, quod nulli novi, quamvis maiora stipendia adderentur, essent, venturi, qui una cum reliquis populis iam novo vaivodae tum metu tum gratia caesaris adducti adhaesissent, se vero solos dumtaxat secum esse et pariter periclitari ac una seu in fuga seu in caesaris misericordia salutem reliquam habere malleque in patria vel mediocrem fortunam tolerare et suae gentis domino subesse, quam in externis regnis novam et eam dubiam quaerere alienisque principibus tum lingua ignoti tum ingrati moribus servire.

Petrus, ubi ex hac oratione boiaronum rem suam in angusto 74
esse clarius percepit fixumque esse in ipsorum animis nullis aliis remediis huic periculo velle occurrere, quam positis armis hosti victori sese dedere et novum vaivodam communibus studiis complecti iamque instanter ab eo veniam, si quid in illum commisissent, rogarent, discedendi commeatum peterent, ipsi, quocunque ire servandi sui gratia placeret, liberum esse, se vitae, liberis, domibus ac fortunis consulturos dicerent, in maiorem sollicitudinem atque etiam in dubium vitae venit veritusque, ne se novo vaivodae ad supplicum, quale ipse de aliis consanguineis suis sumpserat, gratificaturi tum ipsi vaivodae tum caesari Solimano traderent, ad genua prolabitur et flebili voce habituque subiectissimo ac demississimo unumquemque nominatim appellando ita loquutum ferunt.

Vos, inquiens, boiarones, nunquam me offendistis neque 75
nunc patrio regno vos me depellitis, sed fatum meum, sed fortuna iniquior, immo et mores mei, quod equidem peraegre refero, minus laudabiles et magis vobis infesti. Utcunque tamen 76
successit, quoniam cum surgente fortuna affluunt homini opes, honores, favor, amici, laus, famulicium, gratia, authoritas, cum cadente seu abeunte, etiam quae privato aderant, dilabuntur miserique pro derelictis semper haberi solent, video iam vos novo vaivodae adhaesuros, me vivumne, an extinctum malitis, vestri iuris et in vestra potestate esse. Sed oro atque obsecro, consu- 77
lite honori vestro, consulite et fidei, qua me hactenus sedulo observastis. Haec enim sola est, quae servata laudem et gloriam hominibus immortalem, violata dedecus sempiternum affert. Equi- 78
dem haud nego iracundum me nimis durum, saepe inexorabilem plus, quam decuit, imperiosum vobis multorum laborum bellorumque authorem extitisse publiceque ac privatim multos offendisse, sed id, quaeso, non arbitremini aliam ob causam, quam quod, ut ego putavi, maius emolumentum ex severitate principum populi caperent, quam ex nimia lenitate et clementia, propter quam tum apud subditos tum apud hostes fieri contemptibiles nemini dubium est. Nam maxima regna, latissima imperia, flo- 79
rentissimae civitates, potentissimae respub , ubi primum remissius, quam pro mole ac magnitudine sua, et non ea fortitudine neque severitate gubernari regique incepere, qua institutae atque auctae fuerunt, crebras certe, inconstantes ac iniquas vicissitudines subierunt, nonnunquam etiam a stirpe interiere. Si itaque consilium 80
bonum male et in pernitiem mihi caessit, vos, pii ac prudentes viri, postquam fortunam meam cum animis vestris reputabitis, cuius nequitia nunc rerum humanarum spectaculum mihi profecto funestissimum exhibeo, postquam erumnarum mearum deformitatem ac miseriarum voraginem, in quam ex tanta felicitate sordidatus, exul inopsque cum uxore ac liberis meis charissimis abiicior, peto, boni consulite et misero ignoscite meque vivum saltem abire sinite, postquam infelicem deseritis. Vobis ego com- 81
meatum nec dare iam nec auferre valeo. Caeterum ex hoc thesauro, qui mecum est, quantum cuique vestrum placeat, sumat parte aliqua, si libebit, mihi relicta, ne penitus alienas opes apud alienos egenus expectem.

Facile his ex sententia impetratis praebita omnibus remanendi 82
secum, qui vellent, facultate a singulis manus porrectae et vicissim dato vale atque accepto illinc ab utrisque digreditur ac ii Mihule tunc temporis Moldavi exercitus praecipuo duce ad caesarem Solymanum discedunt. Ille comitatus centum circiter et quinquaginta equi- 83
tibus, qui pene domestici servi ac omnes adolescentes fide cogniti et domini casum miserantes fuerant illum prosequuti ad arcem usque Hothyn in finibus Russiae, quam Podoliam vocant, ac in ipsa ripa fluminis Nester collocatam, a qua non multum is locus, in quo haec transacta sunt, aberat, sese recipit eo quidem in

ductus animo, ut ex ea, si urgeretur a caesare, tutum ac breve perfugium in Poloniam fretus pace recens cum illo rege facta habere posset. Nam uxorem et liberos iampridem in Cyczo Trans- 84
sylvaniae arce conservaverat ipse forsan tum, quod longe erat constitutus et omnia iam circum hostilibus armis infesta fervebant, tum, quod etiam nonnihil metuebat a Transsylvanis, quos sciebat antiquarum iniuriarum meminisse; eo se conferre animi non satis habuit. Nam et boiarones, ut pro re certa affirmari 85
percaepi, subito clam armatos dimiserant, qui omnes vias ad Hotym ducentes obsiderent et illum per insidias interficerent. Vide insigne scelus, egregiam proditionem, dolum supra, quam excogitari possit, artificiosum. Et honorem suum salvum esse volebant et dominum, quem odio prosequebantur, regno pellebant. Verum ipse non ignarus gentis suae morum ac omnia mente, ut 86
solent, qui cum ultimis difficultatibus confligunt, quid prodesse, quid evitari possit, animo expendens exacta luce ac declinatis viis publicis noctu per invia secretis callibus ad praetatam arcem inoffensus evasit et evocato praefecto Petrum se vaivodam esse dicere, intromitti petere ac vehementer, ut portas patefaceret, instare. Ille sedulo negare et non solum nolle eum se in arcem 87
admittere, verum etiam maximis probris, calumniis irrisionibusque afficiendo, nisi illinc propere vellet abscedere, capturum se aut propulsurum magno cum suo malo acerrime minari. Quare 88
hinc etiam sic ignominiose repulsam passus, ubi paulo ante imperabat, flexit iter ad manum dexteram secundum flumen Tyram, ut ab tergo circuitis hostibus minime opinantibus magnoque nihil moratus ambitu obliquo progressu, si se forte insequerentur, falleret, et ad Prutum rediit, ut in Transsylvaniam, postquam sors ita cogebat, sese proriperet.

Et adhuc ea ipsa nocte maior pars eorum, qui illum seque- 89
bantur, sublata parte pecuniae, quam ferebat, deserunt. Insequenti die, dum non intermisso itinere eadem via pergit, in sylva quadam rustici et montani homines illum adoriuntur ac suffosso equo, quem insidebat, non mediocriter affligunt ibi etiam non exigua parte pecuniae, a qua nusquam abesse volebat, direpta sociisque aliis occisis, aliis fugatis vix cum XXV adolescentibus diu habito certamine ad claustrum quoddam Karachonkew appellatum effugit. Ubi quum proximam noctem esset habiturus, 90
diffidens iam etiam iis paucis, qui secum perseveraverant, voluit ipsis quoque carere et in omnem eventum sese solitudini committere. Raptim itaque excitato circa mediam noctem tumultu 91
omnes expergisci, consurgere et ad fugam sese accingere iubet, quandoquidem permultos, qui se persequerentur, iam iam adesse inclamaret. Illi dicto audientes, quia aeque metuebant sibi ipsis, quod eum fideliter fuerant prosequuti, cuncta momento temporis fugae expediunt. Ipse vero selectis duobus equis caeterorum, 92
quos habebat praestantissimos, alterum, quem Aloysii Gritti fuisse tradunt ad Meggyes oppidum ipsius clade notissimum, in

quo ad Valacchos profugerat, conscendit, alterum, ut vocant, desultorium oneratum preciosioribus rebus, quae ex tot naufragiis superfuerant, per manum accaepit eo usurus, si prior fessus de via fugae non suffecisset. Pueris deinde consilium dat, ut illi 93
alia via omnes una seorsum eant, ne, si secum reperirentur, secum una interirent. Aliam ipse ingreditur et simul locum assignat, in quo convenire debebunt. Monet praeterea obnixe, ut, si 94
a satellitibus consequerentur, dicerent illum proxima adhuc superiore nocte ipsis dormientibus sese subtraxisse et, ubinam locorum esset aut quibus latebris abditus delitesceret, penitus se ignorare quodque ad novum vaivodam, ne eius indignationem incurrerent, properarent. Nam a persequendo cessaturos aut non reperturos se existimabat.

Iis itaque hac arte summotis solus quoque per deserta abs- 95
trusis semitis in Transsylvaniam versus arcem Chycho iter intendit ac sic emenso magno angulo Moldaviae, Prwth etiam et Zereth fluminibus eo loco, quo ipse caesar illa traiecerat, miro modo ac magna audacia pertransitis in diversos saltus et alpium solitudines devenit ita, ut iam, ubi esset, minime ipsi constaret.
Qua quidem dum ferarum magis iam, quam hostium timore per- 96
culsus nocte intempesta vorando, ut dicunt, viam properantius fertur et nec satis occurentia discernens tum propter caeli obscuritatem tum ob oculorum gravedinem, quum iam terciam noctem insomnem ageret, arbori cuidam impingit, ramus vittam auream, quam apud Moldavos soli proceres deferunt, capiti detrahit et fraenum equi desultorii, quem ducebat, circa illius truncum sese convolvit ac pugno ipsius elabitur equusque hoc strepitu pavefactus, ut erat impiger ac recens, resilit et in sylvam penitius
abiens capiundi sui facultatem non praebuit. Ille intentus conser- 97
vandae vitae magis, quam equi insequendi aut quaerendae vittae seu rerum ammissarum, quibus onustus erat equus, cura retardatus fugae nullam intermissionem facere, cursui celeritatem addere, omnia demum, quae deo placuissent, intra se boni consulere. Dein haud multum progressus, quoniam tam continenti labo- 98
re vis corporis ac naturae deficere videbatur, subducit sese paulum a via et somno, ut, quod itineris restabat, recentior postea conficeret, indulget. Verumenimvero fortuna, quae in illum tota 99
conspiraverat, volens in unum cumulum omnia, quae ammittere poterat, comportare et ultima iactura universarum rerum suarum ea demum nocte afficere, is quoque equus vel pabuli gratia vel quod vitii esset eiusmodi, fraeno sensim capite subtracto recedit
ab eo et quidem longius evagatur. Ille experrectus ubi et hunc, 100
qui caeteris rebus omnibus superfuerat, ereptum a fortuna vidit, surgit consternatus et pedester, nec enim secus poterat et alioqui maturanda erat fuga, ulterius prodire caepit magisque huc illuc oberrabat, quam, quo intendebat, progrediebatur, quandoquidem in tam vastis alpibus rectum iter tenere nesciebat.

Forte sub his Stephanus Maylad vaivoda Transsylvanus vir 101
acer et bellicosus ex mandato Ioannis regis cum milite Transsylvano aditum quendam Oythoz nominatum, de quo suo loco dicemus, propter caesaris Solymani ingressum observabat. Is ita- 102
que factus certior per exploratores, quos passim per totam Moldaviam habebat, quod Petrus vaivoda in hunc modum fuisset regno pulsus erraretque ibidem non longe a castris eius, confestim in omnes partes alpium dimissis hominibus, qui earum noticiam probe callerent, perquirendum vivumque ac inoffensum ad se adduci iubet voluntatem regis esse dicens, ut a morte conservetur tutusque in regno suo, cuius fidei sese, sive casu sive consilio agat, credidisset; nec regium esse in infelices ac fractos malis saevire satisque paenarum esse misero, quas fortuna irrogasset. Illi profecti; haud multo post unus eorum, qui natione Sicu- 103
lus erat, reperit hominem nulla ratione gradientem, solum, pavidum, sine decore, nudo capite, laceris calceis et prope exanimem ac pedibus titubantem, quod iam quatriduum esse diceret, quo nec cibum humanum degustasset neque corpori quietem aut somnum oculis permisisset. Reducto itaqua in viam, Stephanus, in- 104
quit, Maylad cognito, quod hic ita a fortuna afflictus errares vagus, misertus tui plures misit ex suis, qui te perquirerent et inventum ad se deducerent. Ille, quoniam memoria tenebat saepe 105
alias Maylad vaivodam conatibus suis obstitisse atque ab irruptione Transsylvaniae prohibuisse, lacessitum etiam ab se iniuriis multasque ob id simultates inter se mutuo aluissent, veritus, ne ulcisci de se per hanc opportunitatem vellet evasisque tot casibus ac periculis in ipso limine perfugii interiret, Siculum blande ac supplex aggressus rogavit obnixe, ut ad Maylad potissimum non duceretur, tantumque apud eum tum precibus tum promissis aegit, ut illum quibusdam aliis Siculis prope eum locum commorantibus tradiderit, qui postea, ut non exigua suspicio circumferebatur, acceptis donis et magna pecunia ad arcem Chycho, ad quam deduci optaverat, quod ipsius esset et in qua uxorem iam cum liberis habebat, inoffensum perduxerunt.

Boiarones vero interea temporis profecti ad caesarem pro li- 106
bertate inprimis restituta ac dato novo vaivoda gratias egerunt; facta deinde potestate arcis Zuchwae et reliquarum omnium ultro oblata, quemadmodum polliciti fuerant, fidelitatem illi iuramentis obstrinxere proque voto caeteris rebus omnibus impetratis et compositis Stephano vaivodae recens per caesarem creato adhaeserunt. Petro autem tam fede ac misere patria dominatione exacto 107
rebusque omnibus suis comploratis fortuna, quantum in humano iudicio est, eum, qui et exiguus et imbecillis comparatione tanti caesaris erat, cogitatione tamen ac vana sui fiducia omnia summa maioraque, quam ferre poterat, complectebatur, voluit hoc malorum experimento, quantulus esset, edocere et in sui noticiam adducere, quandoquidem tunc demum mortales sese agnoscere

incipiunt, quum adversam experiuntur, quantoque satius sit in ingenti felicitate modicum ac temperatum esse, quam in omne nefas cupiditatesque ferri licentia, declaravit, quippe quae saepenumero gravioribus malis servat illos, quibus nihil unquam extorsit neque aliquando difficilis apparuit.

LIBER II.

DE APPARATU IOANNIS REGIS CONTRA SOLYMANUM CAESAREM IN TRANSSYLVANIAM INVADENTEM

In Moldavia dum haec in hunc modum agitarentur iamque 1
fama et Transsylvaniam et Hungariam ac circa omnia pervasisset Solimanum caesarem, ubi primum Moldavia fuisset potitus, evestigio Transsylvaniam et dein reliquam Hungariam invasurum, forte Ioannes rex salutis regni sui studiosissimus in Transsylvaniam visendi gratia multaque ibidem cogniturus et compositurus, quae proxima bella turbaverant, profectus fuerat, quod quidem quam opportune accidit, tam regno illi salutare successit, etenim principum praesentia deiecti etiam animi in re trepida erigi et confirmari solent.

Sed is, ut de moribus eius attingam ac ea certe, quae ad 2
maiestatem corporis, ad dignitatem oris, ad maturitatem gravitatemque gestorum pertineant, quanta item affabilitas, quanta benignitas, quam ingens clementia potissimum in capitales hostes atque adeo in intimos vitae insidiatores, quae non affectata neque cum insignibus principatus accessoria, sed ingenita atque innata illi fuerat, praetermittam, erat natura summe solers ac sedatus, in dubiis casibus promptissimi consilii, futurorum a longe etiam providus expensor, ad iudicia rerum, quarum inexpertus erat, minime praeceps et in his ipsis cognoscendis praecipue intentus quique in omnibus, quae ageret, vim maximam ingenii sui efficaciter demostraret. Verum ea, quae in manibus habebat, ple- 3
rumque in moram transmittebat, ut nihil casu, nihil incerto consilio administraret, nihil, quod prius ex omni parte non providerat, ad agendum festinaret. In eo autem ingenti admiratione dignum 4
censeo, quod eius nulla unquam fortuna nec vultum nec animum pro varietate sua in eam fortunam, qua sese illi praebuerat, commutavit; adversam enim ex maiore animi laetitia ac oris hilaritate percipiebamus, propitiam modeste significabat, praeteritae vero adversitatis nec unius quidem, utpote victor, meminerat. Demum 5
munificentia procul dubio in eos maxima fuit, qui illum aut deseruerant aut hostiliter sunt persequuti; in amicos et qui nunquam fidem commutaverant, non item. Sed id temporibus tribuebat, quibus antiquae Hungariae fides, quod ipsi quoque vidimus, in paucis reperiebatur. Regnum etenim inter duos reges ad imbecillitatem vi 6
belli intestini redactum, largitio atque impunitas multorum mores

corruperat facileque abiecta severitate condonatis delictis, dum uterque officiis, quibuscumque poterat, quemque sibi fidum facere augereque factionem ad dominium occupandum retinendumque nititur, plerique a constantia avocabantur.

Itaque omnibus ad rem praesentem, quae facere videbantur, 7
diligenti solertia provisis mature ad Solymanum missi legati mandatumque, ut in urbe Constantinopoli prius illi, quam moveret, adessent, ac dicerent probe se quidem omnium commodorum, quae ex eius amicitia percepisset, memoriam tenere ingentesque ac nullo tempore apud genus suum oblivione delendas agere gratias; caeterum vehementer mirari, quae causa illum contra se armasset, quid in ipsum commisisset, optareque summopere de his certior fieri et, si quae a quopiam aemulo obiicerentur, ad reddendum omnium rationem facile, ut amicum amico, paratum esse. Adderent praeterea, ne se, quem hactenus humanitate, fa- 8
vore ac benevolentia liberaliter fuisset prosequutus, nunc malorum hominum pravis consiliis accensus pro hoste insequatur; nec illi unum Mehmetbegum ad res gerendas tanto principe dignas sufficere, — hic enim Belgradi erat zanzacchus et sciebat illum hanc scintillam movere assiduumque apud caesarem delatorem suum esse, quod eius erga ipsum Ioannem regem tam constantem amicitiam illi invidebat, — sed multis viris, multis amicis opus esse et se inter caeteros ultimum existimari aegerrime ferre. Alii deinde atque alii post hos et quidem creberrimi mis- 9
si iniunctumque, ut omnes passim in intinere ei occursarent ac simili pene oratione uterentur, quo, si fieri posset, a proposito revocaretur. Ad haec tamen amica verba et semper placida responsa fuere relata. Caeterum legati ipsi studiose tum a bassis 10
tum ab aliis quibusque obviis in exercitu perquisiti, quare Ioannes rex cum Rom. rege concordiam fecisset, quid tot apparatus bellicos adornaret, num contra Solimanum, et alia id genus, quae hostem illum, non amicum venturum declarabant; erantque certissimo argumento praeter caetera signa, quibus iratus eius animus adhuc initio aestatis proximae Ioanni patuerat, quo tempore Budae sese continuerat. Huc accedebat, quod amicus quidam illius, 11
qui apud caesarem non infimo loco censebatur, clam in hanc sententiam nunciaverat tempus nunc tandem adesse, quo aperiendi essent illi oculi, neque ulterius connivendum; Solimanum ei hostem ex animo factum. Speculatores vero singulis ferme horis ali- 12
ud iam nihil afferebant praeterquam unam omnium Turcarum vocem in exercitu circumferri caesarem Transsylvaniam occupaturum ac ei unum ex filiis praefecturum, qui eodem imperio Moldaviam quoque et Transalpinam gubernaret reliquumque Hungaricae ditionis tam diu quotidianis excursionibus vastaret, donec aut ad deditionem cogeret aut ferro deleret.

Quapropter, licet Ioannes rex ancipiti ac subito periculo nonni- 13
hil permoveretur, quoniam improvisi ac repentini casus etiam fortissimos imperatores prima fronte turbatione quadam perstringunt,

ratus tamen inprimis, quod generosi spiritus est, multo magis praestare cum gloria pro patriae salute ac decore suo in bello mori, quam velut precario regnans diutius Solymanum simulatum amicum et tyrannum insatiabilem munerum sustinere, arbitratus etiam non satis se populo ac regno suo totque antecessoribus suis clarissimis et sanctissimis regibus facturum, si arma Turcarum imposterum devitasset, porro et necessitate hinc in audaciam accendebatur, quod fidem illi haud dubiam fecerant nullo pacto Solymanum sententiam immutaturum, et illinc ad victoriae spem erigebatur Moldavorum Transalpinorumque consensu, qui se adiuncturos ipsi in Transsylvania pollicebantur, et Hispanorum ac Germanorum auxiliis, quae iam adventare ferebantur. Obfirmato itaque animo 14
placuit conatibus Solymani obviam prodire et in tam nobili hoste voluntatem ac fidem, qua semper in Christianam rempublicam fuerit, declarare. Simulque advocatis totius Hungariae ac Trans- 15
sylvaniae principibus viris caeterisque, ut ei nationi moris est, universis regni nobilibus, quos dudum trahente adhuc Solymano ad Dannubium moram in armis esse et ad unum, qui ensem ferre poterat, in Transsylvaniam convenire iusserat, ita loquutum coram audivi:

Quanto sit pax, amplissimi proceres, bello melior, quanto 16
eadem mihi caeteris rebus omnibus semper a primis annis ad hoc aetatis fuerit antiquior, scire vos et expertos esse non dubito. Nunc hoc instituto commutato bellum me parare cernitis, quod equidem non tam optatum, quam necessarium, mihi credite, suscipio. Solymanum Turcarum caesarem hostiliter contra nos venire 17
ac patriae nostrae excidium, nobis exitium minari haud dubia fide confirmatur. Neque aliam causam intelligo, quam, quod paci, quieti ac unitati nostrae invideat, quae ut ego vobis firma possessione pararem, ne dicam, redimerem, quamdiu, quos labores, quas vigilias, quae pericula non adii? quae non tuli aemulorum odia, bella, maledicta, cavillationes, iniurias? opes proprias in eum effudi? publicas ac vestrum pene omnium facultates annuis, immo assiduis maximisque muneribus illi sum elargitus? Populationes 18
atque incendia ipsius militum in regno meo ac pro vestris domibus saepe levius, quam pro atrocitate damnorum sustinui et surda aure oculoque conniventi praeterii. Nulli officio, nulli, quantum par erat, obsequio defui; huius etiam fortunae meae saepenumero acceptum illi post deum opt. max. per legatos retuli. Omne demum studium, omne ingenium intendi, quo in amicitia 19
erga me, vestro quidem ac totius reipublicae Christianae beneficio continerem. Idque nisi fecissem, multa Christianorum regna ingemuissent, sed et ego simul concidebam, proceres, meaque calamitas vos quoque et totam Hungariam in casum traxisset. Nam 20
quamdiu Hungaria velut humanum quoddam corpus omni ex parte convulnerata erigere sese nequivit, longe alia ratione cum hoste agendum esse duxi, quam eius incolumitate integra. Ut enim me- 21
dici humano corpori graviter vulneribus affecto non statim prin-

cipio fortia remedia adhibent et maxime cavent, ne colligando ea laesos artus compagibus suis dimoveant et gravius laedant atque incurabila efficiant, sic ego, proceres, medici cuiuspiam obii partes, affectae Hungariae lenia remedia ac pro magnitudine vulnerum etiam lenta quaesivi, bellum praesertim penitus aversatus pacem atque amicitiam tanti hostis, cuius ferro procubuerat, omni arte, multo officio, maximis donis, variis pollicitationibus ac ingenti pecunia tempori me accomodans arbitratusque vim eius mitigandam, quam exagitandam satius esse apud me detinui, donec nonnihil assurgeret et pristinum decorem ac spiritus illos saepe alias victores resumere et viribus suis restitui caepisset. Quicquid igitur 22
hactenus aut amice aut liberaliter erga me Turca aegerit, id meo ingenio, meis moribus, non eius bonitati, sed fraudi tribuite. Etenim hoc fraudulento barbaricae amicitiae praetextu in infinitam spem tantummodo pacis nos ductavit, quo semper iniuriis ac rapinis suis obnoxios atque opportunos haberet. Nunc quando eius- 23
modi amicitiae, qua me prosequebatur, illum poenituit, quando ego fallacias eius, quando perfidiam sole clarius intelligo et cervicibus nostrum omnium imminentem libertatique insidiantem iam contueor, nequeo, proceres, nequeo dolorem tandem continere meum; exprimit enim sese ipsemet et diutina patientia in impatientiam erumpit cupioque idem vobis esse, quod mihi, animi ac censeo nihil ulterius cunctandum, quo prorsus abiecta omni segnitie arma in illum rapiamus et obsistamus, ne ammissa Transsylvania ad reliquam Hungariam evertendam atque ad supremam pernitiem nostram illi, quod aiunt, fenestram aperiamus. Nam et 24
ex fuga damnum ac dedecus patiemur et pristinas ferre conditiones servitus erit et nunquam metu liber animus. Placeat itaque pugnare, proceres, ac periclitari pro patria; sit dulce pro fide, liberis ac libertate sanguinem fundere. Adero ego vobis in acie 25
et officio rex et periculi socius primusque armis hostilibus me ipsum obiiciam et ante prima signa dimicaturum polliceor. Vos, si vetus prosapia vestra, si maiorum vestrorum invicti animi, si tot de Turcis olim adaeptae victoriae in mentem veniunt, si timoris servitutisque iam tedeat iuxta ac pudeat, proculdubio vestigia mea sequemini. Nam, quod ad me attinet, testatum hac vice faciam 26
meam hanc esse patriam, meorum Hungarorum me esse regem, cum quibus et vivere volo et pro quibus mori animus est, daboque equidem operam, si deus op. max. annuerit, ut vobis cernentibus aut libertatem Hungarici generis ac nominis recuperem aut praeclarae morti locum dando recuparare saltem voluisse declarem. Quum enim magnitudinem animorum vestrorum, quum vul- 27
tus vestros militares, quum virtutem ac manus vestras, quibus olim Matthias rex etiam trinas uno die victorias obtinere potuit, intueor, quum fidem atque amorem vestrum erga me, pietatem ac studium erga patriam mente concipio, nihil equidem nomina, nihil multitudinem, modo in vobis unanimitas non desideretur, Turcarum horreo, immo maiore alacritate, pleniore fiducia animoque

acriore in hostem ferri videor. Sed nec famae vos, quantacum- 28
que nunc de numero eorum vigeat, hortor, credite. Maiora enim
plaerumque semper tradit auditu, quam vero confirmat. Nam, si 29
bene omnia pro ratione rei militaris vobiscum expenditis, contra
Persarum regem ingentes habet copias, contra principum Chri-
stianorum expeditionem maximam emisit classem, Constantinopo-
lim aliaque loca maritima praesidiis validissimis munire cogitur;
et quotam, quaeso, partem seu maioris numeri seu virtutis mi-
litum putatis illum contra nos adducere potuisse? Porro, si ami- 30
cis, si exploratoribus nostris fides habeatur, nonnisi inconditum
vulgus, ignobilem turbam ac, ut dixere veteres, mollissimos illos
Asiaticos, qui semel fusi raro ad secundam pugnam integris ani-
mis redire solent, opinioni tantummodo satisfacturus, ne tot bel-
lis distractus ac debilitatus esse videatur, in exercitum coegit. At 31
nobis Croati, Sclavi, Rasciani, Poloni, Bohoemi, Slesitae, Moravi
adsunt auxilio, aderunt et Hispani et Germani pedites a Rom. rege
missi, alii hastatores, alii, ut nunc dicimus, archibuserii, utrique
milites pugnacissimi, neque ab hoc loco distant quatridui. Mili-
tabunt inter nos et reliqui factionis Austriacae Hungari, paulo ante
hostes, nunc denuo fratres et socii. Adiungent sese nobis, uti vai- 32
vodae sunt polliciti, et Moldavorum et Transalpinorum copiae
accedemusque deo duce ad numerum hominum non poenitendum,
quo etsi pauciores hostibus erimus, virtute tamen plures dimica-
bimus et animis ac fortitudine superiores evademus. Quare non 33
est, cur paveamus, proceres, hoc tam insigne atque adeo neces-
sarium bellum aggredi, praesertim tam bellacissimarum gentium
armis adiuti et aucti, quae profecto semper Turcicae caedis fu-
ere appetentissimae. Huc accaedit, quod omnes occasiones, quas 34
Turcarum caesares hactenus contra Christianos captaverunt, ces-
savere, nam et Gallica et Hispanica et Italica et Germanica qui-
escunt odia, quod Franciscus rex cum imperatore Carolo in ami-
citiam venerit, et cum caeteris principibus Christianis adversus hunc
communem hostem deletis et proiectis mutuis inimicitiis salube-
rimum foedus percusserunt. Certoque sciatis iam eos numerosa et 35
valida classe feliciter contra ilium mari pugnare. Et quid? dubi-
tatis haec omnia e re nostra futura? toto pene orbe nunc eius ar-
ma distinentur, quocumque sese vertat, omnia habet suspecta,
omnia infensa, armat se in illum Oriens, armat et Occidens et
contra nos vix dimidiatis viribus eum venisse ausim vobis affir-
mare. Quapropter freti imprimis dei op. max. auxilio, deinde me- 36
mores tum virtutis vestrae, tum maiorum vestrorum victoriarum
ac fortunae, qui, quoties pugnabant, toties ferme vincebant, re-
gnum hoc mecum una capessite neque patriam suavissimam ac
ditissimam vivis nobis sinamus eripi. Quod si forte vobis nimis 37
audax esse videor, scitote in extremis ac subitis rebus subitis
et fortissimis consiliis opus esse eaque optatam saepenumero vic-
toriam securitatemque solere affere maxima ausis. Eo certe iam 38
ventum est, unde nec fugere datur neque, si daretur, licebit effu-

gere. Pugnandum itaque est et ad victoriam contendendum. Nobis etenim fortiter dimicantibus aderunt et superi Christo duce auxilio domique libertas, foris laus et vetus gloria recuperabitur.

Subiiciam hic praelatos ac proceres, quorum potissimum con- 39
silio Ioannes rex ea tempestate utebatur. Erant ii, quibus et animi plurimum inesse, et quos multa rerum experientia edoctos esse noverat. Verum ommissis absentibus, imprimis Stephano a Ver- 40
bewcz summo cancellario et comite Gregorio cognominato Pestienny a Martonos, ambobus Hungaris, qui Budae erant praepositi, ne eius urbis praesidia, si quae intolerabilior vis hostium ingrueret, desperatione servandi sese posse ad deditionem decideret; et Francisco Fregepano vetusta nobilitate ac Franciscanae professionis viro, multa virtute atque doctrina insigni, Collocensi archiepiscopo et episcopo Agriensi, qui legatum apud Carolum imp. agebat; et Stephano Broderico, genere Sclavo, eruditione atque omnimoda integritate celebri nec unquam ullis praeconiis satis laudato, episcopo Vaciensi, qui adversae valetudinis curandae gratia domum secesserat; ac Petro Petrowith regis consanguineo et comite Themesiensi, qui cum Syrmicis et Rascianis copiis indies expectabatur; omnibus provecta aetate, magno consilio ac in regem explorata fide. Fuere et alii complures, qui diversis locis, urbibus viisque custodiendis erant designati. Qui ad- 41
erant, ii sunt: ex Hungaris Petrus Perenny, Valentinus Terek et Franciscus Bebek genere, opibus ac potentia florentes et primarii ordinis proceres; ex Transsylvanis Stephanus Maylad, Emericus Balassa ambo eius provinciae vaivodae et Franciscus Kendy regalium tavernicorum praefectus, qui omnes prosapia nobiles, sed virtute sua, Ioannis vero regis munificentia in procerum ordinem asciti et ad honorem proxime evecti. Praelati fuere: Ioannes Sta- 42
tilius, natione Dalmata, patria Tragurinus, episcopus Transsylvanus, vir gravis, prudens, acuti consilii, severus et cui semper in promptu erat ingenium quique regem iam inde a multis annis summo studio observaverat et ab initio coronationis utramque eius fortunam iuxta aestimans constantissima fide etiam sequutus fuerat; Georgius dein Utissenius a Croatis oriundus Paulinae religionis heremita, episcopus Varadiensis, supremus thesaurarius et eo temporis universi exercitus summus dux, homo impiger, ingeniosus, publicarum curarum patientissimus, manu promptus ac bello non minus quam religioni natus; Ioannes postremo ab Ezek, instanti anno et ipse ad Quinqueecclesiarum episcopatum virtutum merito promotus, vir certe, qui in rebus publ. summe fidelis, diligens, aptus, affabilis, in privatis humanus, facilis, comis, moribus gratus et conversatione peculiariter iucundus habebatur regique per illud tempus caeterorum omnium, qui ab epistolis ac libellis apud eum censebantur, erat acceptissimus.

Omnes igitur iis perinde atque antesignanis quibusdam suc- 43
censi et ingenti alacritate regis oratione excepta veteres adhuc animos spirantes certatim assurgere, eius voluntatem summo con-

sensu approbare, deus ut secundet consilium atque incepta, supplicibus votis petere et iam tandem, quaecunque cordi essent, acclamare, insinuaret, iuberet, praeciperet, se non segniter imperia illius exequuturos polliceri, non opus esse monitis, non hortatibus, sua sponte ob iniurias et clades illatas ira contra Turcas stimulari, pectora, dexteras, animos solita fortitudine atque constantia non habere spoliatos vixque moram pati, quo celerius in conspectum hostium descendant, dicere. Ioannes rex haud unquam alias lae- 44
tior visus hilari ac interrito vultu eos ad spem certae victoriae erigere, laudare universos ac, uti mature cum omnibus copiis adessent, iubet.

Postero die cognito ac lustrato exercitu nulla mora interiecta 45
semitas omnium alpium locaque et aditus, qui hosti usui esse possent, misit, qui sylvestri materia obstruerent, impedirent ac praesidiis tutarentur. Unus dumtaxat Oytoz a torrente, qui eum 46
interfluit, valde rapido, transeuntibus pleno periculi nominatus in ipsis finibus Transsylvaniae et Moldaviae positus deligitur, quo alius neque ingredienti caesari ex Moldavia in Transsylvaniam facilior erat neque nobis ad opperiendum illum opportunior propter difficultates, quibus non mediocriter hostiles copias atteri debebant, poterat esse. Imprimis enim erat arduus et acclivis, porrec- 47
tus in longitudinem amplius unius diei itinere, latus ita, ut duobus dumtaxat equitibus una euntibus vix satis commodus esset, desuper utrinque rupes altissimae, praeruptae et arboribus densissimis ac maximis onustae impendebant, pro faucibus vero aperta planities et magni capax exercitus fundebatur. In his itaque iuxta 48
vicum Berezky appellatum Stephanum Maylad vaivodam Transsylvanum cum omnibus Siculis, qui eius loci indigenae sunt et contigui Moldaviae, ac magna cum parte Transsylvanorum iussit consistere et explorari facere, quid quoque momento apud Solymanum in Moldavia ageretur. Adiunxerat praeterea, ut cura inten- 49
tissima observaret ac strenue primam hostium frontem, si illac ingressum esset habiturus, prohiberet et in angustiis, quanto liceret diutius, detinere conaretur, donec reliquus exercitus accurrere posset. Cibinio et Brassoviae civitatibus sub radicibus montium, 50
qui Transsylvaniam a Transalpina dirimunt, sitis (his enim oppido verebatur, ne, quoniam et natura et opere munitae fuerant, inicio occupatas velut nidum sibi hostis disponeret, ex quo facilius caeteras regni partes infestaret) aliisque locis atque arcibus ope egentibus, quae Moldaviae adiacebant, munitiones et valida praesidia mittit. Hungaro et Transsylvano militi, item auxiliariis et 51
mercenariis copiis, omnibus demum aliis, qui praesentes extiterant, aequum et opportunum locum in medio prope regno positum, ex quo ad omnes partes poscente re mature esse posset, designat iubetque castra facere atque ad rem commode gerendam cuncta praeparare quidque inposterum agendum, ubi Solymano, si hac vel illa via venerit, occurrendum sit, edocet. Ipsi in Colosvarina 52
urbe, in qua haec transigebantur, mansit, donec Hispani ac Ger-

mani pedites aliique tum amici tum socii et quidam subditi, quos
paulo ante memoravimus, advenirent. Cum externis enim copiis in 53
castra venire instituerat eo quidem consilio, ut perinde ac gemi-
nato exercitu auctoque adventicio milite venisse videretur sicque
et suorum animos confirmaret et Solymano cumularet curas deque
se non adeo facilem victoriam polliceri declararet. Plebem vero 54
rusticam, quae numerose affluxerat, et populum oppidanum per
eos dies iam censum domi ad annonae ex agris colligendae com-
ponendaeque curam armis alioqui non exutis interim esse permi-
serat. Id enim ea pars anni suadere videbatur, quum et agrorum
colendorum tempus ipsum abibat annonaque in campis corrum-
pebatur et hostis cunctanter prodire ferebatur. Verum acriter ad
haec mandaverat, ut, ubi primum res postularet et evocarentur in
bellum, praesto adessent. Nec ita multo post, dum hostem omni 56
metu ac tristicia relegata sic expectat, alii post alios advolant
nuncii, affirmant Moldaviam occupatam, vaivodam expulsum, no-
vum creatum ac reliqua omnia, uti paulo superius enarravimus, or-
dine exponunt caesaremque procul dubio in Transsylvaniam ut
certum hostem properare et iam movendi se in procinctu esse.

Ioannes rex, cui firmiter stabat sententia, ut cum Turca om-
nino pugnaret, cum illum, quid mari, quid terra, quid in Molda-
via ageret quove animo erga se esset, minime falleret, nihil mo-
ratus convocatis duce ac proceribus, quorum quisque pro se rati-
one bonorum ac redituum suorum pensata non cum exiguo mili-
tum colonorumque numero neque vili apparatu propriis stipendii-
regi subsidio et patriam defensurus libens venerat, quae de ho-
stis haud dubio adventu, propinquitate acceperat, exponit iamque
occurrendum esse illi nec secus posse fieri edicit. Animo dein ac 58
spe victoriae omnes implet inque sola ipsorum virtute, armis dex-
terisque praesidium illis fore proponit. Postremo non hortari so- 59
lum, verum edocere eos summa charitate et non minore solertia
aggressus, Milites, inquit, ubi hostem propius adesse intelligetis,
iubete mature arma expedire, quemque in suum ordinem concaedere,
signa subire, neu quis loco excederet, capitis paena cavete, omnia
postmodum vigilanti cura providete, multum per exercitum, poti-
ores nominatim compellando, hortando, confirmando equitate, aci-
em demum instruite perinde, ac si hostis sub conspectum esset,
et omnia caetera, quae praelium postulabunt, impigre exequamini,
ne, si repente et non praevisus, qui Turcae mos est, sese exere-
ret, imparatos offenderet. Aliisque id genus documentis hortamen- 60
tisque fusius enumeratis magna alacritate alacres dimisit.

Dum sic his apparatibus ibidem existens pertinatius insisteret, 61
quoniam lentius progressus caesaris in moram trahebatur, quam fama
promiserat, in diesque copiarum numerum adaugeret, animum non
desponderet, hostem forti animo opperiretur magisque audacter
appeteret, quam ausurum tot adversis aliisque superioribus bellis
debilitatum credi poterat, clam per quendam amicum Turcam,
insignem virum consiliorum caesaris non ignarum, quem ab initio

consuetudinis cum Solymano habitae multa pecunia atque officio in amicitia et favore suo continuerat, insperato fit certior haud dubie se arbitrari caesarem facile instanti anno ab invasione Transsylvaniae cessaturum, si quid muneris et quidem maioris ab illo acciperet, idque forsan opera sua componi posse, caeterum maturaret, vehementer hortari, nisi se et regnum suum perditum iri vellet. Haec tam subita caesaris mutatio subacta praesertim Mol- 62
davia et in tam prospero fortunae suae cursu, nescitur, quid certae causae fuerit, avariciane, an metus, nam Turcas venales esse, modo emptor non desit, nemo dubitet. Hoc nos ex longa consuetudine, quae nobis ratione viciniae cum eis est, quotidie experimur. Verum alii dixerunt, quod propter hyemis propinqui- 63
tatem, alii, quod propter motus conatusque principum Christianorum, quorum classem proxime maritimis eius copiis damnum intulisse et iam in Peloponesso esse ibique hyematuram accepisset. Multi affirmarunt a suis fuisse territum, qui fines inferioris Hun- 64
gariae praesidiis tutabantur, quod scilicet fama vulgasset totam ferme Germaniam, totam Italiam atque Hispanias idque ob pauca subsidia, quae Romanorum rex mittebat, Ioanni regi suppetias venire habereque ingentem exercitum neque pugnam detrectaturum. Et, si ipse caesar Transsylvaniae sese credidisset, in qua tot 65
hostes illi occurrerent, revocaret in memoriam, quot provincias circa se reliquisset Christianorum, qui tametsi iure belli alii tributarii essent, alii amici putarentur, sciret tamen amicos et obtemperantes ad tempus esse, quos armis vicisset, potissimum vero Christianos, quos illi natura dedisset hostes. At haec quoquo 66
modo sese habuere aut vulgo sunt opinata, non magni refert.

Verum Ioannes rex ratus id sibi divinitus oblatum esse com- 67
modi minime negligendum duxit, utque opportune conditio eiusmodi accidisse videbatur, ita eam libenter complexus est. Quan- 68
quam autem fixum erat in animo et iam certo decretum consilio praelium hoc edere, quod memorabile fore sperabat cupiens ostendere nec fidem suam erga rempublicam extinctam esse neque vim neque virtutem populi Hungarici clade Mohachiensi penitus obrutam, tamen, quoniam multa praeter spem illi cesserant, quod scilicet Moldavi ita per ignaviam Petri vaivodae et per suam ipsorum voluntatem ac perfidiam a caesare subacti et novo vaivodae addicti in Transsylvaniam ex mutua nuper deliberatione, quemadmodum commemoravi, non venerant, quod Transalpini similiter sequuti caesarem promissis non steterant, quod Hispani ac Germani pedites venire tardabant iique vix quatuor millia hominum complebant et quod nonnulli proceres Hungari sociorumque et amicorum auxilia expectabantur, hostis vero nactus domicilium contra omnia belli incommoda commodissimum adeo propinquus erat, ut binis castris in Transsylvaniam penetrare potuisset, init consilium, quid factu esset melius, armane ponere et oblata conditione bellum mutare, an caeptum prosequi. Omnibus tandem 69
bene praevisis placuit non praecipitare, quod iratus animus con-

cupierat, neque populi sui tot capita ac regnum suum adhuc debile, quod summo ingenio, summa moderatione, incredibili labore per XII annos magnis incommodis, multis cladibus labefactatum, bellis tum intestinis, tum externis pene excisum continuerat, unico diei, unico fortunae momento committere, quippe qui sciebat se non expletis copiis, sicut crediderat, nec superare nec repellere nec sustinere hostem posse. Ad hoc etiam inducebatur, quod prin- 70
cipes Christianos expeditionem contra Turcas in insequentem annum dilaturos et eos primo quoque tempore multiplici manu terra marique aggressuros intellexisset. Quare visum est longe satius con- 71
sultiusque et maiori usui reipub. Christianae, praecipue vero regno suo Hungariae, si vires, quas tunc temporis collegerat, ad publicam expeditionem ac tempus opportunius faelicioribusque auspiciis reservasset, unde et maior gloria et magis certa victoria sperari potuisset. Maluit itaque Solymanum adhuc paulum tolerare, quem magis dubio tempore ad illud usque tempestatis diu toleraverat, opumque ac pecuniarum nonnihil patriae beneficio profundere, quam amplis et repentinis furtunae promissis confisus ultimam rerum suarum aleam praeceps adire et victus supplex pacem petere ac ultro tributa offerre, quae non solum nunquam hactenus voluit pendere, verum etiam ab hoc nomine semper cavit atque abhorruit et paratus fuit quaevis adversa pati, quam notam hanc tributarii subire, cui multos succubuisse et legimus et vidimus principes, qui prius rem facto aggressi sunt, quam consulto transaegere. Nam ab huius ingenio nihil erat alienius, quam 72
ad res gerendas rapi necessariis consiliis non adhibitis, propter quod a multis, ut olim Fabius ille Maxi. Rom. patricius, tarditatis accusabatur. Semper tamen illi prospere cessit mora, quam 73
et natura et consilium in eo coniunxerat, adeo, ut multa concussa ac deiecta in regno suo tempore reparavit, quae alii temere momento perdiderant, eaque si celeritate restituere maluisset, citius etiam, quae superfuerant (in tantum erant debilitata et quasi omnia locis suis luxata), funditus evertisset, quod quidem nemo est, qui scire non possit, si bellorum eius tempestatem defecatiore animo colligere voluerit. Quapropter omnium pro- 74
cerum unanimi consensu, brevi negocio cum amico illo antea memorato per legatum confecto variisque donis ac pollicitationibus factis Solymanum caesarem a Transsylvania mira dexteritate celeritateque avertit. Qui caesar recepto ingenti thesauro ac pecunia, 75
quam, ut accepimus, Petrus vaivoda vinariis aliquot capacissimis doliis in imo arcis Zuchvae defoderat, ac numerosa lanea, sericea atque auro clavata veste, quam ibidem repererat, illatisque toti Moldaviae maximis damnis hisque non tam a Turcis, quos adhuc caesar inicio prohibuerat, quam a Tartaris, qui nati ad res humanas delendas in ipso ingressu validissimos ignes passim excitabant et edebant caedem, tamen et ii, quoad eius fieri potuit, fuere prohibiti. Postea occupata ea parte Moldaviae, quae ab am- 76
ne Pruth usque ad fluvium Nezter sese extendit, et arci eius no-

minis Albae Nezter attributa, quod et pecore multo abundaret et ut ad cervicem illius provinciae semper manum haberet, recepit se Constantinopolim.

Ioannes rex solutis castris, sociis atque amicis, qui a longe 77
auxilio venerant, actis gratiis omnes donis oneratos dimisit. Nec quispiam credat Ioannem regem expeditionem hanc suam aut studio suscitasse aut ex industria dissolvisse, nam illud necessitate factum, hoc casu evenisse constanter, quoniam interfuimus, testamur neque ullus defectus in compositionem illum cum Turca adducere nec vis a pugnando secum abducere potuisset, si uterque Valacchus, qui hominum copia plurimum pollent, in sententia
perstitissent. Verum non Transalpino, sed Moldavo id sceleris ac 78
perfidiae adscribitur, qui quum iusiurandum suum fefellisset neque, uti inter eos et Ioannem regem decretum erat, in Transsylvaniam sese illius copiis iuncturus venisset, ipse quoque Transalpinus fuit coactus mutare consilium moxque per legatos apud regem et improbitatem Moldavi damnavit et, se ut excusatum haberet, petiit.

Caeterum erant in Transsylvania duae arces, Chycho et Ky- 79
kellew, illa circa fines Moldaviae non longe ab amne Zamoso, haec in media ferme Transsylvania in ripa minoris Kykellew fluminis posita, a quo etiam nomen accepit. Eas rex Matthias olim
vaivodis illius provinciae dederat hac de causa. Pacta quae- 80
dam inter eum et Mahomettum Turcarum caesarem de induciis intercesserant et, a quibus tam in finibus Hungariae, quam Moldaviae existentibus utrique esset abstinendum, fides etiam
mutua accesserat. Cum autem Petrus quidam Strigoniensis archi- 81
episcopus, summus per illud tempus cancellarius nomen arcis Albae Nezter (a flumine, iuxta quod sita est, sic appellata) et Chiliae, quae solo Istro a Moldavia est discreta vicina huic et Moldavae ditionis utraque habita, in literis induciarum una cum caeteris per errorem non ascripsisset, caesar Mahomettus animadversa potiendarum huiusmodi arcium occasione mox occupavit ut
exclusas ab induciis. Moldavi hoc aegre ferentes a Matthia rege 82
de industria profectum suspicari et tanquam de iniuria illata acerrime passim queri, ausi etiam prorsus defecturos se ad Turcam neque posthac illi solita tributa daturos, nisi aut ablatas arces
reddi curasset aut aliis damum hoc pensasset, denunciare. Quare 83
Matthias, ut ab hac infamia tutus esset et, quod errore, non consilio id accidisset, demonstraret neve tanta provincia privaretur, haud moratus illico mancipato Petro cancellario sempiterno carceri damnum Moldavorum his duabus arcibus, Chycho scilicet et Kikellew, rependit et a rebellione convertit.

Nunc Ioannes rex data recuperandarum earum commoda op- 84
portunitate et qua ne a deo quidem immortali melior optari potuisset, extemplo Georgium Utissenium, de quo superius dictum est, cum aulicis et mercenariis copiis ad Petrum vaivodam, qui erat in Chycho, iussit contendere datque mandata, ut eum admoneat de reliquis quoque malis deque ultimo eius vitae periculo,

quod ipsi prope iam imminebat, si in vaivodae novi potestatem veniret, dicatque omnino illum alia ratione minime evasurum, nisi et se protectioni eius committeret et de his arcibus potestatem illi faceret; alioqui, si id negare pergeret, oppugnare eas vi, quanta maxima possit. imperavit. Timebat enim vehementer, ne Turcarum 85
caesar utpote victor iam Moldaviae et qui arma in Transsylvaniam ac furorem suum intendebat, eas a novo vaivoda petiisset, sibique antevertendum esse existimavit, quod per hostem accidere facile poterat. Ille itaque cernens se non esse tantarum virium, ut 86
Ioanni regi refragari posset, quia et suis nihil iam fidebat et, quod perderet, nihil fortuna reliqui fecerat, citra negocium voluntati illius annuens arcem Chycho dedidit et se quoque in ipsius gratiam quam fiducialiter contulit. Postea vero et Kykellew intra paucos dies in deditionem fuit accepta. Ac, nisi Ioannes rex id attentare matura- 87
visset, pulcherrimam hanc occasionem ammisisset, quandoquidem et Petrus a praefecto arcis illa ipsa die, qua obsidione cincta est, proculdubio, quod postea ab ipso intelleximus, in gratiam novi vaivodae necabatur aut vivus ad eum cum uxore ac liberis in captivitatem abducebatur, et arces ipsas aut nunquam aut maximo cum labore imposterum obtinuisset. Ferunt, quod, quum haberet 88
colloquium cum Georgio Utissenio dixissetque Georgius inter primos censeri se, qui apud regem suum summo loco essent ac praecipua authoritate fungerentur, quo fidem maiorem ipsi de securitate faceret et ad arcis deditionem facilius adduceret, sic respondisse: Et ego in Moldavia primus et maximus paulo ante eram. Sed scito omnes, qui ab alio dominium ac summam rerum 89
accipiunt ac tenent, si insolescant et efferantur, in idem dedecus atque infortunium casuros, in quo me quoque nunc proiectum cernis. Vera confessio, sed, ut Phrygum, nimis sera.

At Ioannes rex Solymano caesare a ditione sua procul ammoto, 90
parta Transsylvaniae quiete, recuperata arce Chycho et Kykellew Petrum vaivodam ex summo apice felicitatis in ultimam rerum humanarum conditionem a fortuna deturbatum, immemor prorsus omnium iniuriarum suarum, quum longe maiores etiam a suis fortiter ac prudenter sustinuerat, quo eos e malis bonos, e bonis M. Antonini imp. exemplo redderet optimos ac Hungariae regnum, quod iam vix lacertos movebat, pristinae integritati restitueret, benigne suorum clientum numero adiuxit. Omnibus postea civi- 91
tatibus et locis insignioribus Transsylvaniae perlustratis rebusque universis ex sententia in eo regno bene ordinatis ac forma novorum propugnaculorum et fossarum demonstrata imperatoque, quibus Cibinium ac Brassovia civitates inter caeteras primae, quae Solymano caesari, si per Transalpinam veniret, fierent obviae, mox remissiore facta hyeme ad omnem vim Turcarum perferrendam potissimum communirentur, turrim etiam, quae Rubea dicitur per Turcas olim vitio temporum vel, ut fatear, nostratium incuria disturbata et X millia passuum longe a Cibinio in angustissimo alpium aditu, quo Alutas fluvius e Transsylvania in Transalpinam

prorumpit, sita, iussit denuo firmiorem ac validiorem instaurari? Haec enim semper alias idonea fuit, quae Turcis ex eo regno in Transsylvaniam transitum praecluderet.

Erogata itaque ad haec commode matureque perficienda suf- 92
ficienti pecunia Budam circiter Calendas Ianuarias est profectus 1539. ibique Sigismundi Poloniae regis filiam Isabellam omnibus animi ac naturae dotibus adornatam felicissimis auspiciis ac dei op. max. nutu in uxorem accipiens operam nuptiis dedit. Misso 93
nihilominus per eos dies Ioanne Statilio ad Rom. regem, dein ad Romanum pontificem et Galliarum regem legato, ne etiam in genialibus atque adeo in praecipuis eiusmodi celebritatibus suis curam conservandi regni Hungariae intermitteret.

Haec sunt, quae praesens annus M. D. XXXVIII. iam exiens 94
in Moldaviam et Transsylvaniam secum attulerat caeptaque et transacta sunt Iulio, Augusto et Septemb. mensibus. Ineunte vere, quae insequens afferet, puto magna et multa fore. Sed ea tem- 95
pestate in confoederatione papae Pauli III., imp. Caroli eius nominis quinti, Francisci Francorum regis et senatus Veneti omnes suas spes, animos, victorias Christiani collocaverant.

LIBER III.

DE SITU TRANSSYLVANIAE, MOLDAVIAE ET TRANSALPINAE

Quum ingenii exercendi gratia calamum veri literarum pro- 1
fessores nunquam sinunt conquiescere, faciunt, ne frequenti remissione interpollata evanidum atque obsoletum reddant eisque citra omnem usum consenescat. Exempla nobis huius rei plaeri- 2
que multi iique praestantissimi viri edidere, quorum ne nomina brevitatis causa recenseamus, librariam quamplurimorum supellectilem in medium proferamus, proculdubio cognoscemus totos dies scribendis libris impendisse fuisseque quosdam, quorum voluminibus perlegendis vix etiam vita unius hominis satis esse potuerit. Declaraverunt hoc pertinaci studio tunc demum se omnino 3
profecturos, si, quae indies discendo assequerentur, ad exercitationem quotidie accommodarent.

Etenim frustra quis artem atque doctrinam quampiam discit, 4
nisi et praecaepta illius ad usum transmittendo quaesitum finem assiduo opere consequatur, quoniam sensim et per errores, ut ab eruditis proditum est, ad perfectionem omnium scientiarum devenitur nec quisquam mortalium perfectus nascitur nec repente ad summum evadit.

Quapropter, quum et ipse his exemplis invitatus expeditionem 5
Solymani Turcarum caesaris anni XXXVIII. supra M. D. in Moldaviam et Transsylvaniam contra Petrum voivodam et Ioannem regem superioribus duobus libris fuissem complexus, situm quoque earum provinciarum adiecta his necessario Transalpina, de

quibus mihi passim dicendum fuit, quo scilicet pacto habeant sese invicem, qui mores gentibus, qui ritus, quae urbes, quae flumina et id genus reliqua, quemadmodum res postulare videbatur, volui hoc tercio libro explicare. Quae si parva leviaque 6
memoratu et forsan etiam temeraria impudenterque prolata iudicabuntur, quod plura et quaedam etiam diversius, quam alii scripserunt, occurrerint, evestigio in me frontem nemo corruget, nemo supercilium attollat, velim.

Multa enim propriis oculis sum consequutus, utpote diu in 7
Transsylvania versatus plura indigenarum consuetudine ac relatu data opera studui cognoscere.

Alioqui nec magna illa veterum, multorum etiam recentio- 8
rum clara profecto ingenia mihi indignentur, si quid secus apud me, quam apud eos legetur, quippe qui quum et linguae Hungaricae compos sim, quae mihi est accessoria, et Illyricae, quae genuina est atque vernacula, a qua quidem plurima sunt mutuati tam Hungari, quam Valacchi, uti inferius demonstrabo, facile fortasse, absit verbo iactantia, cognoverim quaepiam propinquius, quam qui longissime ab hac cognitionis facultate abfuere. Anti- 9
qui vero, quod compertum est omnibus, etsi non dicam ea ipsa ommisisse, quae ipse polliceor, tamen testimonia dumtaxat indicasse fuere contenti multaque in obscuritate reliquere.

A nostris ego cronicis non discedam, quibus de Hungaricis 10
Valacchiaeque utriusque rebus magis credendum vel omnium nationum testimoniis puto esse, quam quae de his ipsis externae historiae memorant, praesertim ubi quomodocumque audita posteriati tradidere. Quis enim potest credere, quod cuiuspiam gen- 11
tis monumenta melius ab aliis, quam ab ipsamet intelligantur et tum verius tum uberius narrentur?, quamquam haec ubertas nostris incuria pene publica defuit, dum alia curantur nulla in laude reponenda.

Verum de Romanorum, Hunnorum aliarumque variarum nati- 12
onum, quae ea regna habuere, quali conditione suis illis olim temporibus fuerint, quid proferam?, si hoc nostro saeculo corruptissimo vel paucis annis ante tanta in Hungaria, in Croacia, in Slavonia, in Transsylvania, in Moldavia ac Transalpina facta est commutatio, tanta morum, nominum, dominationum finiumque innovatio, ut ipsam Hungariam in Hungaria et haec reliqua regna in se ipsis non agnoscas. Ita omnes aetates obstinate conten- 13
dunt, ut in mores ac instituta sui temporis cuncta possint pertrahere. Alioqui etiam per se facile omnia praeterita hausta bellorum cladibus in oblivionem festinant.

Porro multos et fuisse olim et nunc esse nemo non videt, 14
qui tam de literis, quam de patria, quod equidem indoleo, minus bene meriti contemnunt sua ipsorum perscribere, aliena vero vellicando etiam, qualiacumque sint, malunt susque deque ferre, quam propria, quae novere, cum laude literarum monumentis mandare ad posteros.

Ipse tametsi plus voluntatis, quam scientiae et eloquentiae 15
hoc in opere habere me non nesciam crimenque ambitiosi quasi pertinaciter cura posteritatis sollicitatus, qui vix praesentia cognoverim, sim subiturus, secus tamen induxi animum, ne mihi ingenium, qualecumque habeam, desidia contabescat vel Senecae sententia, qui ocium sine literis mortem ac sepulturam dixit esse vivi hominis.

Nec dubito aequum lectorem laudi id mihi laboris atque in- 16
dustriae versurum, iniquus, ubi diutius inclamaverit, die ipsa conticescet, si aegritudine ab humano animo aliena nequiverit.

Paucis itaque, quoad eius fieri poterit, expediam, quod pro- 17
fessus sum, neque id quidem tanquam res novas aut penitus ignoratas. Multi enim tam recentes, quam vetusti authores de his provinciis scripsere ac inter hos Strabo, Plin., inter illos Aeneas Syl., Sabell. ac Volateranus copiosius, reliqui contractius et, ut ita dixerim, manipulatim. Ego, quantum per exiguitatem licebit, salvo 18
omnium honore ac pace memorabiliora tantum et illa in acervum congeram eo potissimum inductus animo, ut cernens inclinationem christianorum, quos indies novae seditiones incessunt atque exagitant, extremi periculi, quod ex ammissione earum provinciarum toti reliquae Europae imineat, illi, a quibus res salusque Christiani status dependet, admoniti et petiti sint, velint advigilare et eniti totis viribus, ne Transsylvania saltem, quia cum Transalpina atque Moldavia dudum male agitur, in Tur. potestatem devolvatur.
Quandoquidem id si acciderit, quod malum deus avertat, ut cu- 19
neus in lignum, sic in eam illapsi Turcae facile ad quaecumque voluerint finitima christianorum regna citra magnum discrimen habebunt aditum repraessoque etiam Dannubii nomine altius Istrum in Germaniam proferent et imperium suum latius propagabunt, tam opportuna eius tyranni successibus foret Transsylvania. Quae 20
quidem quum et a natura interius variis tum montium tum fluviorum viarumque difficultatibus communitur et exterius quaqua versus altissimis asperrimisque alpibus veluti validissimis maenibus tuetur complexa quaeque sola per se, ausim dicere, maxima ex parte vim Turcicam annona alere et stipendiis fovere sufficeret, adeo et frugum fertilis et vini faecunda et pecori pinguis et diversorum metallorum ac salium venis abundans est.

Porro Turcae diligentius et maiore industria eiusmodi terrae 21
viscera, quam nostri, quibus et homines et pecunia et facultas denique omnis sublata est, ne dicam, prorsus consumpta bellorum externorum assiduitate et intestinis seditionibus.

Quamquam itaque multa de his et vetusti varie protulerunt et 22
recentiores illos imitati etiam contraria ac dubia opinione simili modo haud pauca tradant, omnes tamen, quum e Pannonia ad eas ultra Istrum regiones ac partes Europae orientales deveniunt, non satis omnia significanter neque ut plane comperta indicant suntque adhuc nobis plagae illae caeteris Europeis partius, quam pro earum merito ac magnitudine demonstratae.

Porro Getarum et Gothorum, item Davorum ac Dacorum 23
nomina confundentes, arbitrati etiam Getas ac utrosque Thraces, quoniam utrunque Istri latus incoluerunt, eosdem esse cum Mysis, quod ex Graecorum monumentis habuere, rem sane omnem posteris cognoscendam in media reliquere. In quo quidem ne Sabel- 24
licus nostri temporis scriptor eximius quicquam certi, ut ipse dicit, in alterutram partem habet, quod affirmet, propter vetustatem.

Nam et Strabo Getas ac Dacos unam atque eandem gen- 25
tem, nempe Scythicam asserit esse, sed solis discretam sedibus, quod haec mediteranea teneret versus Germaniam, illa viciniora Ponto ad orientem incolerent. Hoc idem et Plin. sentit, solum 26
quod Getae a Graecis, a Rom. Daci fuerint numcupati, quod quidem, quum earundem nationum Hunnis postremo accaedentibus, qui e Scythia exierant, homines sane asperi, crudeles omnisque cultus et comitatis ignari eas terras perpetuo iure obtinuere, effecit barbaries, tum vel maxime linguarum, morum ac nominum pene omnium rerum mutatione et confusione finium puto evenisse. Quandoquidem et Romani eas pulsis Getis Dacisque occu- 27
paverant, sed et ii necdum bene constituto imperio ab Hunnis exacti et cum inclytis urbibus una hausti atque deleti pristinae illos barbariei feritatique reliquere.

Unde, quae aliquando exiguis terminis regna includebantur, 28
successu temporis virtute et solertia principum subactis finitimis late fuere propagata. Quae vero fuerunt amplissima, eorundem tum desidia tum populorum seditionibus vel extincta sunt vel in plures partes disecta, quod quidem, ut legimus apud Strabonem, Getis quoque accidit.

Ii enim duce Berebista, viro, ut inquit, claro, natione Geta, 29
quo tempore nondum bello erant a Romanis lacessiti, eo magnitudinis ac potentiae processerant, ut Istro audacter traiecto et subiugata utraque Mysia, Thracia, Macedonia, Achaia ac Thessalia deletisque Boiis, Tauriscis et populis Critasiro cuidam regulo subditis demum usque in Illyricum provectis ad CC M. hominum cogebantur in exercitum, adeo ut Romanis etiam timori essent.

Verum mortuo Berebista, priusquam Romani adversus eos 30
arma sumpsissent, potentiores inter se de imperii dominatione in tantam magnitudinem amplificati contendentes plures in partes diviso regno secessionem fecere. In quatuor deinde distinxere viros, omnem dominationem, quorum quilibet suae parti praeerat; tempus publica sanctione designatum.

Postmodum forsan, ut fit ex pluralitate principum, et poten- 31
tia eorum diminuta et contractis finibus bipartito divisere regionem aliique Daci, alii Getae, servile apud Athenienses olim utrumque genus mortalium, fuere nominati. Ac Getae quidem ii erant, qui nunc Moldavi in orientemque ad Pontum Euxinum usque una cum Istro protenduntur.

Davi vero postea Daci, hodie Transsylvani et Transalpini 32
nuncupantur, quorum ii ad meridiem Istro iunguntur, illi ad occidentem in Hungariam vergunt et usque ad Tibiscum, qui olim Daciae limes erat, porriguntur et, si Volaterano credendum est, ad Dannubium usque; qui scribit Tibiscum mediam Daciae regionem praeterfluere, cui ego non puto assentiendum vel Ptolomei testimonio, qui situm Daciae definiendo dicit libro. Illi eam ab occasu habere Iaziges Metanastas iuxta Tibiscum amnem. Caeterum eodem libro et Alutam ait a septentrione cum impetu 33
vectum Daciam dividere, quod distinctius suo loco declarabitur.

Astipulatur huic rationi et illud ex annalibus Hungarorum, 34
quod, quum Atila in Gallias hostiliter proficisceretur, totum, quod inter Tibiscum et Tanaim interiacebat, Bedae fratris imperio commisit, quasi Dacorum ac Getarum fines eo dumtaxat spacio includerentur. Sed de hoc aliorum sit iudicium, quanquam verius 35
nos his de rebus coniicere puto, qui propinqui sumus, quam qui remote agunt et ex auditu lucubrant.

Sed iis hoc nostro saeculo alia etiam nomina indita sunt, 36
Moldavos enim Danos, Transalpinos Dragulas omnes pene occidentales vocant, quippe quibus nec ipsi Valacchi utuntur, qui se Romanos nominant, nec vicinis ea sunt satis trita, sed audita tantum, nec omnino aliis, quam iis, qui literas legunt.

Hoc autem illis a quibusdam eorum principibus Turcarum 37
opera contigisse existimatur, qui quum et domi administratione regni praestantius sese gessissent et foris apud tantos hostes bellicis rebus magnos et aestimandos se praestitissent omniumque antecessorum gloria in se translata virtute duce nomen quoque eorum in totam gentem propagatum caeptumque primum apud Turcas a fortissimo principe Dragula Dragulas suos appellari. Inde mox ad Italos emanatum nomen, quod ii in literas referen- 38
tes alterius non adeo gnari, reliquae quoque nationes usurpavere.

Idem ea ipsa ratione usu venit et Moldavis, qui Bogdani a 39
Bogdano voivoda, summo principe et Dragula non inferiore, ob cuius similiter magnitudinem rerum gestarum contra Turcas ab ipsis Turcis id nominis acceperunt. Sciendum tamen, quod haec 40
duo nomina ab Illyrico sermone trahunt originem, quod iam diximus plaerisque vocibus tam Hungaricae quam Valacchicae linguae evenire causamque suo loco prosequemur. Non itaque, ut 41
quidam recentiores habent, Dani dicendi sunt Moldavi, sed Bogdani a bog, quod est deus, et dan datus, unde Deodatus nomen. Sic et Dragula diminutivum blandientis a drago, quod est charum, qua ex re, si Latinis licet, Charulus dici deberet. Verum tam haec, quam pervetusta illa alia ommittamus in praesentia.

Porro attriti et Getae et Daci primum intestinis seditionibus, 42
quibus etiamnum in hodiernum diem exitiabiliter aestuant, fracti deinde armis Romanorum, utrique tandem ammisso rege, quem ultimum habuere, Decebalo Romano imperio succubuere.

Hunni postea, qui, ut diximus, vocitati sunt Hungari, quod 43
explicabitur inferius, Romanos subita vi atque inaudita multitudine hominum exeuntes e Scythia tam Geticis quam Dacicis sedibus proturbarunt. Nunc simili modo eo haec misera regna pe- 44
riculi devenerunt, ut Marisum qui mediam Daciam irrigat, Turcae iam potent solaque dei providentia tuentur, quominus in eorum ditionem transmigrent.

Atqui haec nimis vetusta et nonnihil diverse in historiis 45
etiam Romanis tradita, quod quidem et annales Hungarorum scribunt et passim lectoribus occurrit, multis non prosequar; ordinis tantum gratia propterque rerum seriem volui attigisse.

Etenim nostra aetate regna haec tripartito distinguuntur: in 46
Transsylvaniam, Transalpinam et Moldaviam. Harumque indigenae Valacchi, illius Seculi, Hungari Saxonesque appellantur; hancque divisionem ab illa antiqua Getarum ac Dacorum consuetudine ad nostra usque tempora manasse facile ex Strabonis lectione inducor ad credendum. Posteriores enim aetates, etsi praecaedentium 47
non omnia, nonnulla tamen servant vestigia vel imitantur saltem.

Igitur Transsylvania cum Moldavia a septentrionali plaga ita 48
sese mutuo contingunt, ut haec ab oriente, illa ab occidente excurrens ambae Transalpinam quasi brachiis quibusdam complexae ad Istrum usque versus meridiem protensam circumcingant.

Verum Moldavia ab oriente habet fines Pontum Euxinum 49
et Istri ostia, ab occidente Transsylvaniam, Ciabrum fluvium et montem Carpatum; a septentrione Russiam triplicem: albam, superiorem et inferiorem, quae et Podolia et Ruthenia nunc dicitur olimque a Roxolanis inhabitata; a meridie Istro, Mysia inferiore, quae Bulgaria sive Triballi, et Thracia, quae Romania est, terminatur.

Transalpina habet in oriente Moldavos deserta Getarum inco- 50
lentes et Mysiam inferiorem, in occidente Transsylvanos, in septentrione Seculiam et eam partem Moldaviae, quae a Seculis sumit inicium, in meridie Istrum et Mysiam superiorem, quae Servia et Rascia hodie appellatur.

Transsylvania vero definitur ab ortu Transalpina, ab occasu 51
Hungaria, qua secundum Chrisium Varadinum pergitur, a septentrione monte Carpato, ubi Podoliam Sarmatiae sive Poloniae provinciam segregat a Transsylvania, a meridie Mysia superiore vel, ut iam diximus, Servia et ea parte Tibisci flu., quae ab oppido Zegedino divertens in Dannubium iuxta urbem olim Axium nominatam incidit, a qua, ut Ptolomaeus vult, Dannubius deinceps usque in Pontum fluens per Illyricos populos Ister appellatur. Eius tamen locus nunc plane non constat, nisi si quid aliud coniiciemus.

Verum, quae de situ Moldaviae et Transalpinae digna me- 52
moria in literas per me referri possunt, vel ex solo auditu (postremo enim de Transsylvania mihi notiore statui dicere) comperio esse regiones non exiguas, minorem tamen secundum quosdam Moldaviam, secundum alios maiorem Transalpina et montibus

ac nemoribus occupatiorem usque ad flumen Pruthum, nam ulterius, quantacunque protenditur, ad fluvium Nezter campis continentibus tota diffunditur.

Transalpina planior est et longe situ mitior locorumque 53
amaenitate magis insignita. Utraque tamen caelo salubris, solo faecunda, vini et frugum et pecorum equitiorumque maxime abundans.

Moldaviam totam IIII secant insigniores caeteris amnes, qui 54
omnes a septentrione in orientem prius, deinde paulo ad meridiem inclinati tres in Istrum sese condunt.

Praecipui sunt: Nezter, qui Tyras, et Pruthus, qui Ierassus a 55
veteribus cosmographis nuncupatur, et Zeretus ac Moldova, a quo Moldaviam indigenae denominarunt seque in Zeretum iuxta oppidum Romanvasar, hoc est Romanum forum vocatum, exonerat. Maior omnibus Nezter est et solus navigabilis.

Plurimis etiam aliis fontibus rivisque irrigatur, sed ad Pru- 56
thum flumen usque, ubi montibus attollitur, et expatiatur. Nec mirandum est, quod Strabo Getarum terram dixerit aquarum indigam, nam hoc de ea plaga voluit intellexisse, quae a Prutho ad
Pontum usque porrigitur. Tota enim campestris est et solo pe- 57
core atque pastoribus frequens puteisque dumtaxat armenta potant idque raris.

Et quoniam eam partem Moldaviae idem Strabo in VII. libro 58
appellat deserta Getarum parsque alia vergens in occidentem ad Polonos vocetur nostro aevo Moldavia a Molda flumine quasi molae Davorum, quod est fere in medio huius tractus, adducor nonnihil in eam opinionem, ut hanc partem Davi, illam Getae incoluerint, esseque, ut et veteres et recentiores cosmographi tradiderunt, eandem gentem nominibus tantum et sedibus discretam.
Nec id quidem alia ratione, quam fit hoc tempore in Transsyl- 59
vania, quae a tribus nationibus mira concordia et unitate habitatur, nimirum a Seculis, ab Hungaris et a Saxonibus.

Huc possemus afferre et Iaziges Metanastas et Cumanos, 60
quorum ii ex Amodocis montibus, illi ex Ponto in Hungariam migrarint atque ita cum hac gente coaluerunt, ut nec Ptol. aliter
eos scripserit, quam Hungaros. Et his exemplis ero nunc con- 61
tentus, quamquam in diversis regnis complura mihi non deessent. Accidunt enim saepenumero eiusmodi diversarum nationum hisdem in locis coniunctiones.

Transalpinam ommissis variis aquis, quae in ea undique ex- 62
currunt, unicus Alutas in Seculia Carpati montis incolis ortus praeterlabitur et e Transsylvania per Cibinienses alpes, in quibus Tolmatium oppidum in vestigiis Romani condam municipii conditum et Turris Rubea est propter Turcarum irruptionem praesidium, invectus eo navigationi aptus est ac primum in occidentem vergens, quamdiu Cibiniensi agro incipit appropinquare, mox deinde ad meridiem reversus in Istrum influit iuxta Nicopolim.

Gens, quae eas terras nostra aetate incolit, Valacchi sunt eaque 63

a Romanis ducit originem, tametsi nomine longe alieno. De quo, quoniam multi ambigunt et diversimode traditur a scriptoribus, afferam paulo prolixius etiam meam hac de re sententiam.

Scribunt multi et pene omnes neoterici asseruntque indubie 64
Valacchos a Flacco quodam Romano viro, quo duce ad coercendos Dacos in eas regiones colonia Romanorum deducta fuerat, quasi Flaccos esse numcupatos. Aiunt enim multa aetatum serie 65
et ex variarum gentium ac linguarum commercio esse factum, ut ex Flaccis corrupte Valacchorum tanquam Flaccorum nomen formaretur. Quod quidem ita evenisse facile credo, non tamen ab 66
ipso Flacco, quemadmodum mox authorum veterum testimonio adnitar patefacere.

Legimus in historiis stante adhuc consulari imperio primum 67
Lucium Lucullum in Thracia cum Bessis montis Hemi incolis bellum gessisse et Eumolphidam, ut Sexto Ruffo placet, ut Iornandi, Pulendanam, quae nunc Philipopolis, et Adrianopolim, quae iuxta eundem Ruffum Olympidia, iuxta Iornandem Ustudana dicebatur, in Romanam potestatem redegisse.

Inde civitates quoque Apolloniam, Galatiam, Parthenopolim, 68
Istropolim et Tomin, quae antea non ita pridem obtentae erant classe belloque Mithridatico rebellarant, cum aliis multis ad Istrum usque perveniens recuperavit et Romanam virtutem atque arma Scythis ostendit.

Sub Caio Caesare Thessalos, Achivos et Macedonas simul 69
accessisse tradunt. Porro, quum Macedonia ter rebellasset sub Philippo, sub Perseo et sub Pseudo Philippo, Philippum Flaminius consul, Perseum Paulus Aemilius, Pseudo vero Philippum Metellus oppressit et horum tandem triumphis Macedonia prorsus potiti sunt Romani.

Illyricos hac occasione aggressi, quoniam Macedonibus opem 70
tulerant, per L. Manilium praetorem cum Gentio eorum rege in deditionem accepere.

Dardanos, qui nunc Bosnenses sunt, et Moesios Curius pro- 71
consul post deditionem Illyriorum subegit et primus Romanorum ducum ad Dannubium cum imperio pervenit.

Sub Octaviano Augusto, cui bello ipse quoque interfuit, su- 72
peratis alpibus Iuliis supra urbem Segestam ad Savum in Calapi flumine Kuppa nunc vocato sitam Appiano Alexandrino teste Pannonia inferior et Slavensis regio, quae Savo et Dravo interiacet fluminibus, usque ad Scordiscorum loca, ubi nunc Belgradum est in Syrmio, devicta et possessa limesque Rom. imperii et barbarorum per Vindeliciam, Noricum, Pannoniam et Mysiam constitutus.

Nec ulterius quicquam contra eas nationes ab Augusto gestum 73
Appianus in Illyrico suo tradit. Quanquam civitas Tomitana iam pridem recepta a Lucullo ipsius auspiciis tenebatur in Ponto, ultimus scilicet imperii Romani ex ea parte Orientis limes testante Ovidio lib. II. Tristium:

Hactenus Euxini pars est Romana sinistri, 74
Proxima Bastarnae Sauromataeque tenent.
Haec est Ausonio sub iure novissima vixque
Haesit in imperii margine terra tui.

Traianus tandem ab Augusto XII-mus imperator Dacos 75
vicit Daciamque trans Dannubium in solo barbarico provinciam
fecit Decebalo rege eorum in ultroneam mortem compulso. Et 76
haec latius prosequitur Sextus Rufus vir consularis in historiae
Romanae rationario et Iornandes eius simia in libro de regnorum
et temporum successione, ne alios citemus.

Iam quod ad Flaccum attinet, apparet meo hic quidem iudicio 77
nullibi, quod huius Flacci ductu atque auspiciis vel Getae vel
Daci vel quaevis alia illius plagae natio fuisset Rom. imperio
adiuncta.

Nominatur hic Lucullus, Flaminius, Aemilius, Metellus, Manilius, Curius, C. Caesar, Augustus et demum Traianus, Flaccorum vero nullus.

Quanta autem omnes ii in illis regionibus gesserint, plenae 79
sunt historiae mirumque esse potest, cur ab horum nullius nomine Valacchorum nomen prodierit.

Caeterum, si ea gens a victore quopiam nomen hoc sortiri 80
debuisset, optimo sane et legitimo iure a Traiano debuerat, qui
solus post tot superiorum temporum bella, quae per consules,
praetores, legatos imperatoresque gesta sunt, devicto acie rege
Decebalo, in provinciam redacta Dacia urbibusque in ea institutis et coloniis deductis Latini generis, quod in Dione legimus,
18 ferme post se caesaribus imperium ibidem stabiliverit idque
ad Galieni usque et Aureliani tempora, quorum alter ammisit
Daciam, nempe Galienus, Aurelianus a Galieno in Maesiam Rom.
eius incolas transtulit duasque fecit Dacias easque appellavit Ri-
pensem et mediteraneam Dardaniaeque fuere contiguae. Ii Daci 81
in hodiernum diem latissime per totum Illyricum a Macedonia
et inferiore Pannonia ad Istrum usque et littus Dalmaticum patent
saltusque et montes potissimum incolunt Vlahiique et Vlaszii
nominantur, cuius vim vocabuli inferius exponam. Atque et iis 82
sunt illi martoloszii, quod invaluit nomen apud Turcas, dicti a
praedatoria calliditate et promptitudine, quorum sine omni contra-
versia latrociniis crevit in Europa et propagatum est totum Tur.
imp. Qua etiam ex re omnes, qui in eum ordinem nomen dede- 83
rint, immunitate omnium vectigalium caesareo diplomate donantur.

Sed ut excutiamus etiam plura, quo facilius ad veram huius 84
nominis etimologicam cognitionem pervenire possimus, si a Flac-
co, quicumque ille fuerit, Valacchi dicti sunt, quaeso, cur nulli
Romanae historiae scriptores, loquor de posterioribus et quidem
de iis, qui ab eo tempore, quo Romani in ea parte Europae cae-
perunt imperium instituere, usi sint hoc nomine Valacchorum,
quum alioqui in Getis Dacisque et in iis gentibus, quae reliquum
Orientis incoluerunt, versetur eorum historia.

Arbitror autem posteriores fuisse Plutarchum, Eutropium, Ca- 85
pitolinum, Sextum Rufum, Procopium, Agathiam, Iornandem et Claudianum etiam poetam, qui omnes alii sub Traiano, alii sub Valentiniano, Theodosio et Iustiniano temporibus viguerunt nec uspiam in eorum scriptis Valacchi memorantur, quum iam Romani dudum per Gotthos, Vandalos et alias diversas peregrinas nationes, postremo per Hunnos Hungarorum progenitores non a Getarum et Dacorum tantummodo solo, sed etiam ex Pannoniis exacti erant nimirum Valente imporatore rerum potiente.

Verum, ut id dubii certioribus argumentis liqueat et Valac- 86
chos a Romanis originem ducere declaretur, duo referam, caeterum penes lectores et qui plures linguas cognoverunt, erit iudicium. Praeteritis igitur infinitis vocabulis, quae Valacchi cum lingua 87
Latina et Italorum vernacula eadem ac certe intelligibilia habeant, interrogantes quempiam, an sciret Valacchice, Scisne, inquiunt, Romane?, et, an Valacchus esset, num Romanus sit, quaerunt. Nihi- 88
lominus et Hungarice et Illirice quam plurima proferunt, sed hoc propter varias imperii eorum mutationes et vicinitatem, quam hinc cum Ruthenis et Polonis, illinc cum Bulgaris, Rascianis et Syrmiis habent. Huc tamen et aliud accedit. Nam apud omnes na- 89
tiones Illirico sermone utentes, ut apud Dalmatas, Croatos, Sclavos, Boznenses, Rascianos, Bulgaros, Stirios, Carinthios, Ruthenos ac etiam Polonos et Bohaemos, qui a Dalmatis sunt oriundi, Itali appellantur Wlahii seu Wlazii, qui quidem et Romanis et Hungaris longe creduntur esse vetustissimi. Nam quo tempore Hunni 90
ex Scythia venerant, legimus in Hungarorum cronicis, quod Pannoniam variae gentes illectae eius soli fertilitate Longobardi potissimum et Itali Matrino quodam viro bellicoso, tetrarcha, Rom. praefecto incolebant, qui similiter utrique Mysiae, Achaiae, Thraciae, Macedoniae ac Dalmatiae Romanorum praeerat authoritate. Quare 91
pulsis ex ea Italis et, quemadmodum eaedem cronices testantur, permissi ab Hunnis libere Hadriatico mari in Apuliam traiicere sponteque Valacchis, qui eorum erant pastores, ibidem remanentibus Hungari in regnum succedentes ab Illiriis Wlazorum sive Wlahorum nomen, quos ita vocari invenerant, accepere eosque Olazak appellaverunt. Exinde postea mitescentes in dies a Scy- 92
thica feritate retinentesque usum Romanarum literarum apud se ad Latinam terminationem et vocem leniorem Valacchos quasi Wlahos vocaverunt.

Urbes in illis nullae, nulla policia, nulla eximii operis edi- 93
ficia. In Moldavia dumtaxat tres arces sunt lapideae: Zwchwa imprimis principum sedes in ripa fluminis Zereth, dein Hothyn et Nemuz, haec in finibus Siculiae, illa in Poloniae posita. Vicos 94
ut pastoriciae casae hinc inde sparsos et oppida nullis saepibus communita, domos vero agrestes modice humo evectas materia sylvestri compactas, limo illitas et culmo seu paleis tectas inhabitant. In Transalpina Tergovistum unicum insigne oppidum est 95

satis ingens et caput provinciae ac duae arces lapideae non tales, ut nominentur. (Bukorest est regis castellum prope Dombowisa ; loynar prope Argias fl.) Reliqua omnia pene, ut in Moldavia. 96
(In Moldavia tamen ecclesie multae ample et magnifico edificio impensisque maximis opere generoso edificate sunt; Pudna locus, in quo sepeliuntur.) Nec alioqui licet apud eos veterum atque adeo 97
iam et Turcarum imperatorum decretis fortalicia aut arces condere neque civitates munitionibus et propugnaculis cingere solam regni fortitudinem in militum numero ac robore ponentes. Sermo utri- 98
que nationi idem est et fides Christiana, Graeci tamen sacrorum ritus, puto ex eo, quod secundum Strabonem Graecis erant notiores, quibuscum potissimum conversationem habebant. Mores etiam 99
inculti sunt et vestis haud par. Nam Transalpini in Turcarum tum mores tum vestiendi modos penitus degenerarunt, Moldavi vestes mordicus observant quique apud eos seu Turcicam seu alterius nationis vel vestem vel gladium et id genus quippiam assumpserit, capite punitur.

Principes eorum vaivodae, hoc est, militiae ductores a voy 100
seu voyniza, quod Illyrice militia, et vody, quod ducere est, appellantur, unde et voynici, milites, et voievati, militare, dicunt.

In dominia legitimi haeredes iuxta ac illegitimi succaedunt. 101
Causa est, quod impune plura matrimonia contrahunt, unum tantum legitimum, quod alioqui, si minus placuerit, etiam susceptis ex eo liberis, dato repudii libello et pecunia quadam admodum modica in signum dissolutae desponsationis uxori reddita dirimere nullum et nephas. Olim autem per Hungaros reges confir- 102
mabantur, aliquando etiam dabantur alii vel expulsi reducebantur (Io. rex reduxerat Radulem et Wladum) eisque fidelitatem iure iurando solenniter obstringebant et quotannis pendebant caensus aut ut subditi multorum veterum regum armis Hungaricae ditioni adiuncti vel restituti potius parebant, nam saepenumero antiquae adhuc potentiae spiritus nonnullos in se sentientes cupientesque pristinum imperium statuere ad rebellionem recidebant. Cui et 103
Caroli et Ludovici et Sigismundi regum temporibus maxime Transalpini studuerunt, quod Hungarorum imperium supra, quam dici possit, exosum habebant. Nam ii male Graecorum principum imi- 104
tati exemplum Turcas imperante Amurate II. contra Sigismundum in auxilium sibi evocavit, cum quibus congrediens Sigismundus ad oppidum Nicopolim et victoriam de eis reportavit et oppido fuit potitus. Alias quoque saepe idem fecere, postremo vero si- 105
mul et Moldavi et Transalpini conspirantes solitaeque rebellionis intenti studiis prorsus Amuratis adhaesere amicitiis, sed per Hwnyadem virum ea tempestate celeberrimum revocati ad fidem regi Ladislao parere et consuetos census pendere fuere coacti.

Postea invalescens Mahomettus Tur. imperator abiecta Trans- 106
alpinensium amicitia, quos malebat servos habere, quam amicos, facile occasione inventa, quarum barbaris ac tyrannis principibus ingens est semper copia, eos primum, dein Moldavos vi occupat

tributaque, quae Hungariae regibus persolvebant, caeteris omnibus condonatis Turcarum caesaribus deinceps coegit pendere adeo, ut nostra aetate reges Hungariae sola fidelitate et obedientia quadam recognoscunt, idque si timeant, quod in Petro hoc nunc per Solymanum expulso licuit plane coniicere.

In contrahendis vero observandisque matrimoniis omnibus 107
est idem mos, eadem lex, sed ignobilioribus largior licentia. Virgines enim, quas ii in thori consortium habere exoptaverint, frequentius rapiunt, quam datas accipiunt, existimantes id esse honestius foreque inter sponsos firmiorem necessitudinem, quam si sponte aut ad primas petitiones a parentibus exhiberentur, qui deinde confecta iam re dolore sese dissimulantes haud aegre per amicos et utrorumque consanguineos reconciliantur. Caeterum 108
mortales sunt minime hospitales, nulli cultui dediti, hominem interimere nihili ducunt, pecuniae avidissimi, ad furta nati, nec statura corporum nec facierum venustate conspicui, colore fusco, criniti barbatique et aspectu plurimum rigidi, ad omnes labores ac rerum penuriam maxime patientes. Equestres plaerumque militant, 109
pedestrium copiarum nullus usus, nisi ad lacessendum hostem in montanis, hasque vagas et sine ordine habent.

Arma Moldavis clypeus, lancea, gladius, sagittae, ut Tartaris 110
praecipua, nemini armatura solida, paucis et iis potioribus lorica hamata dumtaxat et galea chalybea, verum omnibus sagi quidam linei repleti xilino trium vel quatuor digitorum crassitudine, ea praesertim parte, qua humeri ad usque cubitus, quemadmodum in antiquissimis auleis est videre, induuntur, qui crebris liciis sesqui digiti inter se distantia consuti pro armatura habentur, nulli gladio pervia, praesertim si humecti fuerint (Addas hic de 111
equis parvis: laboris et inedie patientes neque curantes nimiam culturam.)

Vestitus et ornatus boiaronibus, qui apud utranque natio- 112
nem proceres sic appellantur, proprius et ad praescriptum est. Ornantur autem annulis pluribus, serica veste et aurea variis cu- 113
loribus distincta, praeterea torquibus et armillis aliisque id genus ornamentis, quae simul ab sinistro humero sub dextro bracchio ad femur usque per transversum pectus demittunt (cum marsupio panni aurei cum aliquot aureis).

Transalpini nullis de re vestiaria aut militari legibus obnoxii 114
omnia cum Turcis habent promiscua propter mutuam consuetudinem. (Moldavi sunt bellicosiores, quam Transalpini, qui etiam cedunt eis, et Transalpini sunt Moldavis hospitaliores.) Ii ferme 115
omnes principes suos innata quodam insania agitati consueverunt seu clam seu aperte occidere et omnia bona eius diripere. (Moldavi servant successori ad obolum.) Quique ad tercium saltem 116
annum in dominio superfuerint vel morte naturali in lecto decesserint, maximo miraculo est. Aliquando intra biennium duos et tres absumpsere nec ullus ex eorum progenie est, qui nesciat se ad manifestam mortem ire, quum vaivoda creatur. Sed ea opi- 117

nione sunt persuasi, ut, si mille una die ad id dignitatis eveherentur eademque necarentur, mox alii mille interiti succaederent existimantes bene ac beate cum eis actum, si vel semel in parentis solio assedisset. Tanta gloriae cupiditas insit etiam genti barbarae.

Moldavi mitiores nec ita in principes saeviunt, quum enim 118
semel evexere suscepereque aliquem in dominum, summa fide colunt et amore prosequuntur, nisi in tyrannidem lapsus fuerit et
se ab eo contemni cognoverint. Hunc sine dubio tollendi e me- 119
dio operam intendunt aut pellunt dominio, ut hac nostra aetate Petrum vaivodam Solymano Tur. cesare depulerunt.

Sed iam ad Transsylvaniam ordo invitat. 120

Regio est figura circulari magis, quam in longum porrecta, 121
magnitudine non ingenti, verum quae, sive longitudinem sive latitudinem quaeris, XXV milliaria Hungarica non excedit. Ea pars, quae a Siculis incolitur, et dehinc, qua Brassoviae qua arcis Fogaras ad usque Cibinium expanditur, sylvis, vallibus montibusque paulo asperior, ceteris in locis mixta. Nam et nemora 122
opaca plena voluptate habet et rivis perennibus irrigua est, colles aprici ac vitiferi passim sese ingerunt omnique ab utroque
ferme latere subest sua et non angusta planicies. Terra alioqui 123
ubique cunctis satis aptissima et, si requiris, omnia omnibus, quae soli faecunditate, ubertate rerum, pecoris copia, fluviis, fontibus, aquarum decursibus, caeli clementia, demum omnibus, quae ad humanum usum faciunt, gloriantur, comparanda, posthabenda nullis et quam plurimis praeponenda. Etenim frugum 124
vinique adeo ferax est, ut frequenter Hungariae etiam ac vicinis regnis ex ea subveniatur, vasque vini LXX urnarum trecentis, frugum cubulus X denariis venit, quod et superiore et instanti
anno licuit vidisse. Sed vina, seu fortia seu lenia seu acria seu 125
dulcia seu clara seu rubra aut subrutilia et ad omne anni tempus accomoda exoptas, eo sapore, ea specie sunt, ut neque Falerna ex Campania desiderares et in comparatione multa etiam anteponeres. Aurum vero et argentum omni fere ex monte egeritur, 126
aqua currens nulla est, in qua non eluatur, totamque Transsylvaniam supra salem sitam esse ausim affirmare, adeo, ut in Marysum fluvium multis ex locis promineant exesae salis crepidines, Siculi vero in ipsis domibus vix sesqui palmi pa'efacta
terra effodiunt. Et tum quoque, quum uti volunt, regesque Hungariae 127
magnos ex eo reditus proveniunt. Ferrum etiam ac plumbum parit, fructuum vero omni genere, ut pomo, pyro, non sapore solum, verum etiam copia Italiae non caedit, persico praesertim, quod Albae Iuliae agrum producit, facile superat eosque in insequentem usque annum tanta quidem integritate conservant, ut tunc
lectos esse diceres. Prata affatim aliaque iumentorum pabula passim 128
habentur. Caeli temperies per omnes partes aequalis nulla aura, nulla pallude, nullis malis nebulis infamis, sed salubris et locorum situ atque amaenitate tota insignis venationique ac genio varie et

honeste exercendo non incongrua. Urbes in ea munitae et magis ex- 129
imiae: Colosvarium, Cibinium, Brassovia, Bistricia, Meggyesium, Se-
gesvarium, Sabesum et Alba Iulia sedes episcopalis. Arces quamplu- 130
rimae: Hwnyad, Dewa, Fogaras, Dyod, Chycho, Balvanos, Gyalw et
multae aliae, quas per prolixitatem non ascribo. Amnes: Marysus, 131
Alutas, Burtia, Bistricium, Chichulius maior et minor, Zamosus item
alter maior, alter, qui Hungaris Wyzafolyo, hoc est retrofluus di-
citur, quod ab occasu in ortum prius, dein eo conversus, unde
venit, iuxta oppidum Dees maiori sese immiscet. Ad hos Sabe- 132
sus, Sargetia et Aranyas, id est aureus, qui vel quod aurum co-
piose in eo eluitur vel a montibus aureis, ex quibus oritur, Ara-
nyas Hungaris est dictus. Navigant Marysum, Alutam, Zamosum 133
et Aranyas, sed ubi aut nimio imbre aut nivibus Alpium lique-
factis adaugentur. Maiores caeteris: Marysus, Alutas; isque in 134
Istrum, ille in Tibiscum cadit; ambo reliquos pene omnes in
se accipunt: Marysus Aranyas, Ompay, Sabesum, Chichulium
maiorem, minorem maior; Alutas Nigram, ut dicunt, aquam, Varg-
scum, Hamerodium, Burtiam, qui Brassoviam alluit, ac Cibi-
nium, a quo urbi inditum nomen, et Sargetiam thesauro Dece-
bali Dacorum regis et Zarmisegetuza olim eius regia, nunc Var-
hel, id est arcis locus, nuncupata notissimum; uterque torrentes
innumeros, quos sua quemque vallis emittit. Aranyas cursum navi- 135
gabilem ab oppido Thorda vix quatuor milliarium Hungaricorum
habet ad Marysum, Zamosus multo longiorem ab oppido Dees
ad Tibiscum usque; utrumque salinis clarum ex illoque in
Marysum Aranyas fluvio, in Tibiscum Zamoso pervehuntur sales
isque Bistricium excipit. Piscosi quidem omnes et arenis aureis
celebres

Natio eam triplex incolit: Siculi, Hungari, Saxones, adiungam 136
tamen et Valacchos, qui quamlibet harum facile magnitudine
aequant, verum nulla illis libertas, nulla nobilitas, nullum pro-
prium ius praeterquam paucis districtum Hazak incolentibus, quo
regia Decebali dicitur extitisse, qui tempore Io. Hunyadis inde
oriundi nobilitatem, quod semper contra Turcas pugnanti strenue
affuerunt, adaepti sunt. Caeteri plebei omnes Hungarorum coloni 137
et sine propriis sedibus, sed sparsi hinc inde per totum regnum,
rari in apertis locis incolae, montibus ac sylvis plaerumque cum
suo pecore pariter abditi sordide vitam ducunt.

Siculos autem Hunnorum genus esse nemo ambigit. Origo 138
ipsorum talis est. Habetur in Hungarorum cronicis, quod rex Attila,
quum iam annis 125 supervixisset, plus quam LX liberos reliquerat,
inter quos dum proceres duos, Chabam scilicet et Aladarium, ut-
rumque tum aetate maturiores, tum virtute animi severitateque
parenti non dissimiles ac caeteris praestantiores esse iudicassent
statuissentque alterum merito, qui patri in imperium succaederet,
exorta est inter eos vehemens seditio, quod neuter alterutri volebat
caedere. Nam Chaba Honorio Graecorum imperatore, cuius erat ex 139
sorore nepos, et maiore Hunnorum parte nitebantur ad dominium,

Aladarius non multis Hunnis, verum, quod Alemana matre esset progenitus, magno numero principum Germaniae, semper enim ea natio Hungariae, ut etiam nunc, insidiata est. Forte inter hos 140
erat Detricus quidam, patria Veronensis, vir militaris, qui suscaepta parte Aladarii et promissa opera, qua illum in imperio statueret, liberat et se et reliquos Germanos, fitque utrinque magnus exercitus congredientesque editur ingens caedes; praelium dies quintadecima dirimit et ambae prope partes extrema occidione mutuo sese consumpsere, sed Hunnorum pene tota vis interiit. Nam Detrici arte victus Chaba cum reliquis fratribus et 141
XV millibus hominum ad Honorium avunculum in Graeciam, inde in Scythiam ad avum Bendekwz profectus est. Ultra vero hos extitere tria millia virorum, qui praelio fuga erepti in Pannonia remanserant, sed timentes ab occidentis nationibus, quibus rex Attila infestus olim oppido fuerat, in Transsylvaniae ultimum angulum Chykmezew vocatum versus septentrionem migravere ac, ne Hunnorum residui putarentur, Zekel sese nominaverunt, quos nunc Siculos, dum Latine scribimus, vocitamus. Longo postea 142
temporum tractu redeuntibus iterum Hunnis ex Scythia, qui cum Chaba discesserant, in magnum numerum aucti et ii etiam in Siculia late iam propagati illis usque in Russiam utpote communem patriam recuperaturi occurrerunt, qua tandem recuperata easdem sedes sibi inhabitandas, quas initio fuerant sortiti, a reliquis Scythis poposcerunt et facile pro opera tam egregie navata impetravere.

Haec Siculorum origo, hinc nobilitas, qua communiter omnes, 143
tametsi aratrum et ligonem versent, gaudeant, hinc libertas, qua ab annuis censibus exactioneque servitutis prorsus immunes sunt et absoluti, duobus tantummodo obnoxii. Quum enim regibus bel- 144
lum instat, coguntur suis stipendiis in expeditionem proficisci, verum diversa conditione, si vetustissimam libertatem observabunt. Nam, si cum hoste orientali aut septentrionali seu intra 145
fines patriae pugnandum est, viritim ad unum omnes sumunt arma nec bello excaedunt nisi confecto; si contra occidentales, decimam sui partem mittunt neque ultra quintum supra decimum diem sequuntur castra. Contra meridionales dimidiati eunt bellumque 146
tolerant, quamdiu possunt. Hoc tempore cum regni clade etiam ipsi libertatis suae nonnihil accepere detrimenti, dum laboranti patriae saepius auxilio adesse et ibi quidem, ubi res postulavit, fuere inducti. Idem et in pendendis boum tributis illis contigit. An- 147
tiquo iure unicuique regum ter tantum eos tribuebant, singulae scilicet familiae vel, ut ipsi dicunt, portae singulum bovem in coronatione, in nuptiis et in primogenii nativitate, cuius loco si filia nascebatur, a tercio tributo absolvebantur. Nunc ommissa in- 148
terdum antiqua consuetudine vel subsidii gratia rege exigente in patriae conservandae beneficium saepius dare non recusant. Cae- 149
terum ad procreandam sobolem gens est non mediocriter faecunda, ita, ut hodie ad XXX millia hominum in exercitum cogi possunt

domibus defensore non spoliatis. Equestri militia plaerumque utun- 150
tur, belli apparatu nullo, nulla insigni armatura, nullo ornatu militari conspicui, verum numero veterique animorum magnitudine freti acriter pugnant. Non tuba, sed cornu edunt classica 151
et, nisi praelium mature ineatur, affecti castrorum tedio cito ac sensim dilabuntur. Mores penitus incultos non habent, verum qui 152
Scythicam adhuc prae se ferunt cruditatem omnique pene consuetudine, legibus et vitae institutis ab Hungaris religione excepta discrepant; ne lingua quidem omni ex parte, quum veterum more loquuntur, similes. Pro literis notas quasdam in scipionibus ad 153
formam tesserae quadratis excindunt lineamque a dextra in sinistram, ut Iudei, Egiptii ac Turcae, ducunt, quarum una seu ad summum duae punctis quibusdam additis plus quam pro numero caracterum praebent intelligentiae. Hunnos his usos fuisse apud 154
indigenas tritum est. Ad comitia armati conveniunt, potiores in coronam assident, reliqui magno clamore obstrepentes circumstant seduloque pernegantes ea apud se rata fore, si, quae statuerent, non placerent. Ubi quid praeter omnium voluntatem decernitur, fe- 155
runt interdum, sed in authorem dumtaxat, cuius opera seu pertinacia quippiam oneris insoliti subiere, hac iniuriam ultione retorquent: agminatim domum eius omnes invadunt ac solotenus disturbant et, si forte libertati eorum quid novi, quod derogaret, aliquis commentaretur, ferro etiam hunc prosequuntur, captum in comitiis palam necant. Domos autem, quorum disturbant, ubi paenituisse 156
delicti tales cognoverint, una omnes instaurant et cum illis in gratiam redeunt. Vestiuntur Hungarice non tamen adeo exacte neque curiose. Colunt agros, alunt equitia optima, frumento abundant, vino non ubique et ob id cervisiam potant.

Saxonum natio, quae proculdubio a Saxonibus Germaniae 157
populis olim Othonum Romanorum caes., dein Caroli Magni Francorum regis tempore Marte potentissimis oriunda, relicto solo patrio in hanc terram migravere, quod tum ex Hungarorum cronicis tum ex eius gentis senum relatu animadvertimus, qui quasi per manus a maioribus suis accipientes eiusce rei memoriam ad nostram usque aetatem servavere. Nam regnante Geycha rege, 158
dein divo Stephano variae nationes, Bohaemi, Poloni, Graeci, Armeni, Bessi, Saxones, Turingi, Renenses, Cummani, Latini et aliae plures in Hungariam advenere ibidemque cum Hungaris diutius concordibus animis degentes facile ab eis et in matrimonia sua et in consortium nobilitatis assumpsere. At seniores in- 159
digenae de eorum in hac provincia origine verius memorant. Ii olim, inquiunt, quodam tempore insurgentes contra principes suos et nonnullos etiam occidentes in patria permanere non sunt ausi et alii alio sese transtulerunt, pars in Pannoniam advenere. Rex, 160
qui eo temporis regnabat, licet in Germanos malo esset animo propter assidua bella, quae inferebant Hungaris, tamen misertus profugum exilii utque regnum colonis releretur, quod variae hostiles nationes pervastaverant, non abiecit, sed in Transsylva-

nia illis, tanquam in abdito, loca angustiora, incultiora, asperioraque tribuit inhabitanda eosque regum colonos, qui et iobagiones apud Hungaros appellantur, voluit esse. Ii in hanc usque 161
diem vultus, mores, linguam retinent patriam. Sunt admodum industrii, laboriosi, policiae, mercaturae omnibusque artibus mechanicis potissimum dediti. Rapina aut furtum nec nominatur inter eos, cibis magis necessariis quam exquisitis vescuntur. Rei 162
domesticae aliaeque supellectili augendae impensius, quam ulla alia in ea provincia natio, intenti alienique minime appetentes, contenti suo adeoque struendorum edificiorum, agrorum colendorum et vinearum plantandarum studiosi, ut ea parte Transsylvaniae, quam Saxones incolunt, nulla ferme sit hodie neque pulchrior neque faecundior. Quod succisivis temporibus reges vi- 163
dentes eos privatis legibus ac iuribus municipalibus donavere muroque civitates circumdare permisere. Ultra ordinarios census pecunia ipsis, quantam et quoties reges volunt, imperatur neque aegre aut contumaciter eam persolvunt, sed militia a maioribus, puto, ob libertatem domi ammissam degeneravere. Pedestres ex- 164
ercent arma, intra muros fortissimi, in campo facile caedunt, quo fit, ut libentius regiam expeditionem stipendiis, quam milite adiuvant. Caeterum mulieres ipsorum institorum munera aeque ac 165
viri obeunt et cum maritis in augenda re egregie certant. Contra Hungarorum institutum maturas iam viro virgines in matrimonium locant XX annorum impuberes etc.

Hungari, penes quos totius Transsylvaniae praecipua est no- 166
bilitas, ab Hunnis descendunt, sed non mediocri post temporum, ut ferunt, intervallo Siculos sequuti; iis et mores et vestitus et iura et lingua cum caeteris Pannoniae Hungaris eadem, nisi quod et ipsi sua quaedam propria habeant, quam diversitatem non solum in regnis ac provinciis, verum etiam in civitatibus atque adeo singulis etiam familiis videmus esse. Terram optime colunt, urbes 167
non inhabitant, sed pagatim arces ac domos. Quibus res est amplior, etsi non eminentes, laxas tamen et non indecoras lapide alii edificant, alii materia lignea construunt. Vivunt politice, mori- 168
bus cultioribus student, vescuntur opipare et condimentis indulgent aeque ac Pannonii, venationibus aucupiisque peculiariter sese exercent, vestiuntur eleganter et summa cura, sed raro serico, variis tamen coloribus delectantur, nigro nunquam, nisi quum lugent; negligentius et pedes calceant et caput tegunt. Gens est 169
in armis fortissima, terroris ignara, patriae conservandae diligens, ad movendum bellum et praelium ineundum nonnihil tardior plusque praestat in recessu, quam fronte promittat, adeo, ut saepe motum bellum ac initum praelium tanquam lacessita nisi post aut sui aut hostium ingentem caedem nescit desinere, quod in Aloysii Gritti occisione plane declararunt. Nam et prius, quam 170
de caede eius decreverant, hortati sunt, ut pacifice regno decaederet, saltem, ut, quae in multorum procerum interitum animo concaeperat, condonata etiam morte Cybacchy, viri certe strenui

et magni exequi ne posset. Verum quum nihil patientia efficerent, ferro confecere etiam nolente principe.

Ad nobilitatem acquirendam nulla ars, nullum studium pe- 171
culiarius, quam militare ac res litteraria. Hostem equo hasta de-
iicere suprema laus. Bella equestres obeunt; olim omnes cataphratti,
nunc omnes velites leviter armati. Eam consuetudinem a Turcis
illos accepisse nulli dubium est. Nam tempore Mattiae regis ca- 172
taphrattorum usus maxime cum maxima laude ac victoriis ex-
imiis florebat, sub Ladislao ac Ludovico huius filio paulatim cae-
pere negligi, post vero cladem Mohachiensem etiam exauthorati
sunt ac penitus una cum disciplina militari intermissi successere-
que, quos vernaculo sermone hussarones appellant, puto, facili-
tate militandi equorumque Turcalium agilitate illecti vel potius,
quod ex bellorum licentia omnibus mortalibus usu venire solet, ut
victi in victorum mores abiere.

Arma illis cassis calybea, lorica hamata, gladius Turcicus 173
(zablam dicunt), in sinistra clypeus, qui totam thoracem et caput
tegat, in dextera chyrotheca ferrea et lancea cum flameolo quo-
dam sericeo sub cuspide apposito. Equi varii, sed Turcici prae-
cipui, quos summo discrimini servant, quod et velociores sunt et
agiliores caeteris quique in utranque manum versatiles esse et
procurrendi ac recurrendi non ultra certos numeros edocentur.

Caeterum, quum heae nationes tam diversae terram eandem 174
incolant, tanta concordia animorumque consensu inter sese sint,
ut mirum nihil magis. Et, si interdum tumultuari contigerit, quod 175
etiam inter fratres solet evenire, mox externo emergente hoste in
mutuam gratiam redeunt seque et sua mira arte, dexteritate tutari
sciunt, quod vel in his tot Hungarorum cladibus regumque mutati-
onibus licuit cognoscere, semper enim hactenus incolumem patriam
a ferro et flamma servavere.

Omnes autem per se in septem sedes distinguuntur. Siculo- 176
rum hae sunt: Udwarhel et Kereztwr, Chyk et Gyurgio, Maros,
Kyzdy, Sepsy, Orbay, Aranyas; Saxonum: Zaazvaros, Sebes, Zer-
dahel, Zeben, Olthan, Syngh, Kyzd. Hungari comitatus vocant Al- 177
bensem, Kykulliensem, Colos, Doboka, Zolnok, Thorda et Hwnyad,
quibus singulis apud Siculos et Hungaros comites viri, qui et iura
caleant et magistratibus obeundis sufficiant, praeficiuntur; apud
Saxones iudices regii. Unde servato in hunc modum ordine, sive 178
ad bellum expeditio fit sive regii census exiguntur aut quid tale in
communi agendum sit, citra omne negocium et parvo tempore, quae
volunt, perficiunt. Atqui arbitror hanc septem sedium cuiusvis eius 179
distinctionem a septem castris vetusto Transsylvaniae nomine pro-
venisse. Nam, ut chronice Hungarorum tradunt, exeuntibus Hunnis 180
magno cum cetu hominum e Scythia intrantibusque in provinciam,
quae nunc Erdewl vocatur, in septem exercitus sese divisere, quo-
rum unusquisque ex 30 millibus armatorum et 857 constabat dati-
que sunt singulis singuli duces et assignata totidem loca, in quibus
erectis terreis castellis uxores et liberos conservarent, donec in Pan-

noniam proficiscerentur. Allucinantur itaque illi, qui solos Saxones 181
lingua eorum Sebenburgenses dici volunt a septem civitatibus: Coloswario, Cibinio et aliis, quas ipsi edificarunt et auxerunt, sed etiam omnes Transsylvani hoc nomine appellari debent ab illis septem Hunnorum terreis castellis, quae, ubi fuerant castra metati, erexerant.

Sed ne exiguum opus in magnum caput excrescat, harum pro- 182
vinciarum is situs, haec conditio. Turce Transsalpinam, Moldaviam tam Turce, quam Tartari omni ex parte ita urgent ac premunt, ut etiam Transsylvania de pilo pendeat.

SUPPLEMENTUM

WRANTIO ATTRIBUTUM — LIBRO I. PRAEMITTENDUM

Solimani Turcarum caesaris expeditionem in Moldaviam et 1
Transsylvaniam memoraturus, qua Petrum cognomento Bogdanum Moldaviae principem genti suae vaivodam appellatum patria dominatione exegit, altius aliquanto mihi repetendum esse duxi, ut cognitis ex eiusdem expeditionis causis facilius ad institutam narrationem devenire et ipsam rem cognoscere possimus. Quum 2
enim de possessione regni Hungariae diu inter se Ferdinandus et Ioannes atrociter armis contendissent nec aliud consequerentur, quam quod et is in auxilium vocando Turcam in dies magis ac magis illi serviret et ille lacessendo propius periclitaretur amboque foventes domi optimatum factiones quotannis detrahendi aliquam partem finium facerent hosti facultatem, Sigismundus Poloniae magno et praeclaro animo rex pacisque ita amator, ut bello semper fortissimus haberetur, permotus regni vicini atque adeo Christiani desolatione et periculo animos utriusque ad agendum de pace et concordia toti Europae summe necessaria irrequietis hortamentis induxit eaque primum idque saepe opera ipsius necnon et aliorum quorumdam ex Germania principum quum in Polonia et in diversis aliis locis tum postea apud ipsum quoque Ferdinandum in urbe Viennensi per legatos viros insignes nequicquam tentatum. Hinc enim et Ferdinandus, quum maxime brachia 3
movere potuit et fortunam suam nosse putavit, nihi unquam de suo iure concedens adversario, dum eum non Transsylvania, Croatia, Sclavonia et regali sede ac fastigio Buda solum, sed etiam tota Hungaria excedere contendit ipsique nec tituli regii facta potestate vixque etiam solius patrimonii possessione permissa nihil minus quam consortem regni admittit; illinc et Ioannes animo princeps prorsus non ignavo mallens iam etiam brevissimum tempus vivere, dummodo honeste possit et inter Hungarorum reges salvis regiis insignibus referatur, nec titulo nec Buda nec regno ipso cedit, pro successione etiam suorum posterum labo-

rat, quod quum inter Germaniae quosdam principes Austriae infensos dominis tum Gallus et Turca potissimum assiduae opis suae copiam pollicebantur nec ipse quoque Ioannes quicquam de iure suo remittebat et vitam potius amittere, quam vel minimam regni partem hosti resecaret, decreverat. Et in hunc modum longo intervallo ad ineundam concordiam disiuncti rationibus atque ad arma identidem regressi mutuo et ex aequo adversa fortuna usi in dies sese conficiebant.

Aloysius Grittus Venetus homo, de quo alibi, qui iam ea 4
tempestate in summum apicem rerum apud Ioannem conscenderat, qui totius regni gubernatione fungeretur seque non aliter gereret, quam si in sortem coronae secum successisset, fretus authoritate, qua pollebat, partim a Turca partim a Ioanne accepta et dexteritatem ac fortunam suam omnium ingeniis rerumque experientiae praeferens ipse quoque huiuscemodi negotii tractandi provinciam in se transtulit adeo, ut deinceps frequentes nuncii Turcici ad Ferdinandum in Austriam eius opera commearent, qui de pace agerent.

Sed cum neque per hos quicquam ea de re succederet, dic- 5
tum postremo est, quasi e re nata, oportere Grittum colloqui cum Ferdinando, si vera tandem pax, non fucata speraretur. Grittus autem eo tum erat Constantinopoli legatus de Ioannis rebus apud caesarem regique nunciarat se a Solymano plenam authoritatem adeundi Ferdinandum et componendi pacem accepisse essetque bono animo eamque cum eius commodo atque decore fore pollicebatur iamque, quod adiiciebat, ipsum Ferdinandum per oratores in arbitrium suum apud Turcam et Ibraimum totius causae suae huiuscemodi eventum coniecisse idemque oportere et Ioannem facere, si rite atque celeriter optatae et diu iam quaesitae paci manum ultimam imponi velit. Hac ex re quanta extem- 6
plo suspicio de actionibus Gritti Ioannem incesserit vel potius veterem de illo diffidentiam irritaverit, quia diu iam cognoverat, in quas spes et rerum novarum moles ambitio illum deduxerat, non facile dixerim. Nam et illud ad Ioannem delatum, quod dixis- 7
set Turcae invidiam Ioanni facturus tota eum mente et praecipitanter quidem in pacis amicitiaeque cum Ferdinando faciendae curam incubuisse sicque effectum tandem, ut eam, qualemcunque obtinere possit, etiam, si cogeretur, minus honestam, omnino tamen ineat neque, quod scire debet, aliis fieri posse conditionibus, quam ipsi Turcae adversantibus, quandoquidem et Ferdinandus cum imperatore fratre omni studio et industria conaretur belli sedem adversus eum in Hungaria ponere et Ioannes regnandi tranquillitate desperata tot iam laboribus, tot curis atque periculis eximi sese praecuperet nimirum contentus fortuna et statu omni, qui ab adversario victore porrigeretur, hincque satius eum esse hac de pace aliis modis, suis tamen auspiciis transigere dataque interim Ioanni amplissima rerum suarum spe sic de Hungaria cum Ferdinando pacisceretur, ut de possessione illius non excideret et

Ioannes tamquam instrumentum maiorum successuum occasionibus servaretur. Neque isthaec quidem falso delata; sic enim sese 8
res habebat et in pacem tota voluntate consenserat. In eo tantum illi facta iniuria, quod indecoram dictus est postulasse, quod quantum refugerit omnibus viribus, alia in parte operis nostri recensuimus.

Verum interim, dum haec Ioannes sollicite secum in animo 9
revolvit ac de remediis accusationum et de effugio periculi cogitat, Grittus ex Turcia rediens a Transsylvanis occiditur.

Ioannes vero opportune sublato regni altero aemulo, quam- 10
vis magno onere liberatus esse videretur, maiore tamen cum periculo Turcae in se iram provocavit. Ultra enim alios excessus ex Germanorum partim frequenti de pace commercio, partim ob inquietudinem quorumdam eius regulorum, qui fines eorum clandestinis excursionibus molestius infestabant, conflatos, patrocinio amicorum saepe iam et multos condonatos visus hic maximus et minime barbaro tolerandus. Interfectus vir tantus ac tam celebris 11
Aloysius Grittus, tot perempti ianiczari, tot reliquorum ordinum insignes et clari extincti milites, tantae denique opes visque gemmarum et regia prope supellex merciumque preciosarum varietas et magnitudo intercepta. Indignum sane facinus eamque tam atro- 12
cem iniuriam quis adeo ignavo atque deiecto animo princeps esse posset, qui non ulcisci conaretur, qui hoc ingens detrimentum recuperare non curaret, authorem non ad satisfactionem adigeret, sed ad necem ipsam exposceret? Succensus igitur indignatione 13
eiusmodi maxima summa celeritate misso ad Ioannem nuncio casum hunc apud eum ita expostulavit paucis, ut se propediem venturum et cogniturum hanc iniuriam denunciaret. Praeceptum item 14
summa severitate, ut, quicquid rerum apud Grittum perierat, integerrime sibi sine ulla dilatione restitueretur, si gratiae locum apud se relictum velit, neque avaritia sese ab honestate et officio rapi patiatur; nonnulla opum illarum publicanorum Italicae nationis, quod chyrographis Gritti constaret, extitisse, reliqua sua esse omnia satisque multa eius causa in Hungaria vindicanda eoque ipso in regnum asserendo ab exilio sua sponte impendisse, diripi atque in praedam converti ab amico et principe beneficiario minime debuisse.

Ioannes accepta ira et voluntate Solymani statim ommissa 15
consiliorum ambiguitate tamquam sublatis iam omnium commentuum causis, quibus animum eius hactenus erga sese detinuerat, pronior ad pacem factus est. Caeterum quamquam gravi timore se- 16
cum in animo conflictaretur, quoad ammissam Turcae societatem, eundem etiam contra se ad arma provocasset et praesertim in tanta externorum hostium varietate et in domesticorum insidiis ac fide parum stabili, quum ad haec et inopia pecuniarum extrema laboraret, quod palam esse non ignorabat, nihilque adhuc de pace cum adversario certi speraret, tamen usque adeo apud omnes suos id angoris dissimulavit, ut, si unquam alias, quibuscunque in rebus

aut hilaritatem prae se tulit aut audaciam ostentavit, tunc ad admirationem etiam multorum et ingenium et magnanimitatem suam declaravit. Et hoc interim haud diu detentus eiusmodi sollicitudi- 17
ne paulo post affertur insperata caedes bassae Ibraini eiusque interitu Ioannes rex innocens iudicatus, verene an simulate, amici enim ex Turcia sic nunciabant, postea patebit. Sed aderam ego in 18
consilio Varadini, quum ad Ioannem legatus ex Turcia veniens solito eum more fratris atque amici nomine salutasset iussissetque eum verbis Solymani vel ipso orationis initio securum ac laetum agere. Hortatus inde, ut proximi nuncii oblitus praesenti solaretur atque animum confirmaret. Caesarem Solymanum eundem 19
erga illum esse et futurum posthac semper, quem semper hactenus expertus erat et habere optavit, nempe amicum, fratrem et protectorem contra omnes, a quibus vexaretur. Sciret autem Grittum 20
merito fuisse occisum. Scelestus et perfidia homo incomparabili nihil a caesare ad ea facinora, quae aggressus erat, mandati habuisse cum Ibraimo tantum aeque contra caesarem atque adversus te ingratissimus homo, cuius iudicio et intercessione ad tantum rerum splendorem prodire permiserat, perniciosa communicavit consilia ob eaque, quam digne ex humanis ambo desierint, exitum utriusque indicasse. Non omisit in fine opum mentionem, quae 21
secum perierant; paucis modesteque eaedem tunc postulatae foreque eorum amicitiae magnum firmamentum, si fuerint restitutae, quod plurimorum hominum conditionis non postremae partim illorum, ut, quae caesaris sint, ne commemorent, qui ea Gritto crediderant, partim, qui iis pro Gritto fidem obstrinxerant, quotidiano clamore ac lacrimis qua pietas qua aequitas caesariana sollicitaretur. Nec fas eum esse, ita creditur, seu subditorum suorum seu 22
sociarum nationum hominum curam et rationem tutelamque posthabere, si cum iis faedera ac veram amicitiam colere vellet.

Delinitus Ioannes his et levatus metu ex parte aliqua, non 23
tamen absolutus nec omnino tutus quamquam erectus et laetus satis nec aliter quidem inductus animum, quam qui praevidens hostis iacula evitat ictus et oppugnantem ridet. Nam et ipse, quum pri- 24
dem artes et mores et perfidiam Turcarum longo usu bellorum probe didicerat, minus eis credit et alioquin, quum nimis iam, ut ita dicam, fatiscebant lateque vulgabantur eius de pace cogitationes, non solum propositum suum non suspendit, verum etiam ne intermisit quidem, sed nova etiam auxit sollicitudine.

Erant illi celebres aliquot a consiliis viri a pace et concor- 25
dia cum Ferdinando non alieni. Duo tamen inter alios, qui antistites erant, Franciscus Francapanus Agriensis et Stephanus Brodericus, quamquam Franciscus etiam archiepiscopali mytra Colocensis ecclesiae titulotenus, quia re Turcae potiebantur, eminebat, peculiariter ad pacis studia perinde atque ex condicto naturae videbantur esse comparati. Neque poterant conquiescere, quin, si fieri potuisset, quam celerrime et sine temporis impendio componeretur. Assidue igitur Ioannem ad eam ipsam concordiam hor- 26

tabantur nec alia magis quam de pace consilia ingerebant et, tametsi perspiciebant illum hinc extremo et inevitabili terreri periculo, si prorsus ab amicitia Turcae discessisset, illinc brevissima dominatione distineri, quae ad posteros suos non erat perventura, si in Germanorum societatem concessisset, spem tamen honestarum conditionum quum ex unitate animorum et collatione virium tum ex ingenti liberalitate Caroli caesaris fratris Ferdinandi non incertam pollicebantur. Caeterum et mediocrem conditionem status 27
meliorem esse, dummodo tranquillam et securam, quam summam et cum summo metu atque dispendio tum privatae tum publicae salutis pertinaciter urgere.

His et aliis eiusmodi incenso Ioannis animo visoque demum 28
novis angustiis, quas ei paulo ante mors Gritti suscitaverat, conflictari et per ancipitia rerum cogitatione rapi, inclinari alioquin dudum sua sponte ad concordiam, si modo ea fieri posset non incommoda neque indecora, viaque Turco ad ulciscendum se praecluderetur, orant, inducunt, faciunt animum. Inde mox per consi- 29
liarios utriusque principis res aggressa, per hos enim, quicunque tractatus de hac pace erant agitandi, et moveri et agitari oportebat, ne principum existimatio deprimeretur, si aut huius aut illius nomine pax atque concordia ultro fuisset postulata. Ac ubi literis 30
primum ac expeditis nunciis de mutuo consensu atque congressu confecissent, duo ii praesules velut instrumenta omnium aliorum promptissima missi sunt in Austriam. Agunt, quae in rem pacis mandata acceperant; optatae occasioni summo conatu admonent. Aiunt demum nunc eam fieri opportere, si futura sit, sin secus, ea 31
evenire posse ex momentis rerum, quae utrique parti paenitudinem essent allatura. Ioannem tamen adnixurum summa ope, ut in omnem eventum, quam commodissime possit, utatur fatis suis. Referunt Ferdinando placere omnia, quae ad eam pacem spectarent, neque occasionem oblatam abiecturum, modo ad immodica non cogatur. Proinde quum hactenus tot congressibus nihil in ea com- 32
ponenda perfici aut saltem fiducia aliqua futurae demonstrari potuit, in quibus etiam summi quidam tum viri frustrati suis laboribus atque officiis lusere operam, dum uterque regum statuere et firmare apud se integram regni maiestatem summa vi et contentione perseverat, reperiretur aliquis alius felicior modus, per quem demum extirpato omni seminario discordiarum sedeque mutui nostri belli procul amota in amicitiam rediremus.

Eam rem ubi et Ferdinando et Ioanni placere cognitum est, 33
collatis inter sese denuo animis atque consiliis utrique in Carolum imperatorem consentiunt, illum requirendum decernunt, eum solum huic tam arduo negotio certum authorem sperant, eum indubiam opem allaturum, ne prorsus et Hungaria evertatur et Germania in discrimen adducatur. Quippe qui pro iustitia, pro pietate, pro mo- 34
deratione sua, imo et pro iure ipso, quo credendum est eum esse in fratrem et fratri praeter iniuriam aliqua adempturum non diffidunt et, Ioanni quicquid permiserit, eundem satis sibi accessisse

putaturum, modo ne toto exturbetur et regio fastigio prohibeatur. Missi mox a Ioanne oratores iidem Francapanus et Erodericus in- 35
iunctumque, ut cognoscant, an quid tandem in eius maiestate facultatis existat ad eam cum illius fratre pacem faciendam; voluntatis in se non parum esse nec ea petere, quae concedi non possint, si adest pietas; pro parte se, non pro toto contendere facileque acquieturum iustis atque honestis conditionibus; et id genus aliis adornata legatio.

Profecti ad Carolum legati Neapoli illum conveniunt ibique 36
functi munere demandato gratissimi fuere, postremo amplissimis donis acceptis magnifice Ioanni oblata est opera. Placuit insuper cum ipsis legatum suum Ioannem archiepiscopum Lundunensem insignem virum una remittere et de his apud utrumque regem suo nomine tractari. Ioannes tunc agebat Varadini et rebellibus qui- 37
busdam civitatibus expugnandis operam dabat vulgato dudum caesariani oratoris adventu et spe late per omnem Hungariam accepta, quod certissimam pacem apportaret. Qui quum advenisset, 38
magno totius populi plausu et omnium ordinum frequentia cunctis in summam quamdam celebritatem et laetissimam pompam apparatis in IIII ab urbe millibus passuum, misso obviam Ioanne Statilio episcopo Transsylvano et Valentino Turco cum quingentis ferme aulae suae nobilibus viris praestantissimo equestri apparatu instructis honorifice exceptus est.

Auditus triduo post, tantum abest, ut cum optata pace ve- 39
nerit, ut etiam longe alieniora visa sunt ea, quae attulerat, quam quae opinio vel ipsi Ioanni ante promiserat. Quod ei quidem quamquam omnino insperato non incommode tamen cessit existimatumque id curatum ab adversariis, quod quaesitae pacis initia magis a Ioanne prodierant, pressusque Turcae indignatione ob interitum Gritti ad iniquas etiam conditionum rationes descensurus sperabatur. Verum incerti homines, quid quaeque dies afferat, miraque 40
ac magna rerum momenta singulis fere punctis temporum verti solere, Ioannes occasionibus suis veluti a Iove missis quam minime expectatis firmo animo usus est.

Porro sub id tempus Franciscus Galliarum rex intercepto Sa- 41
baudiae ducatu, ubi Alobroges olim sedes habuerant, pulso avunculo, quod Carolo caesari impensius studebat Gallorumque in Italiam transitum saepe occultis impedimentis detinere credebatur, in Insubres usque validum exercitum transmiserat, qui reliquas eius ducatus civitates expugnaret. Hoc interim Carolus quoque cum Tu- 42
netana victoria rediit ex Affrica et lustrata primum Sicilia, adita Neapoli, Roma, Sena, Florentia, Luca hisque in locis amplissimis triumphis in vetustae celebritatis Romanorum morem actis, mox deinde ingentibus copiis comparatis maturavit Gallis occurrere, quos receptis Vercellis, iam enim eam urbem obsidione premebant, in Italiam quoque animum intendisse perceperat. Quo dum pergit, 43
recuperato deditione Fossano a Vercellis solo adventu obsidionem removit. Francisco inde Saluciorum marchione paulo ante Gallo

amico in fidem et amicitiam accepto in Galliam Narbonensem toto cum exercitu descendit eodem et classe submissa. Huius expedi- 44
tionis magnitudo tantam de se per totum orbem famam fecerat, ut Hungarica factio Ferdinandi perinde ac firmiter certa de invicta Caroli felicitate, ex qua regis quoque sui fortunam convalituram non dubitabant, summa cura institerunt iam ducendum esse Ioannem per difficilia et iniqua sine dubio vulgarem etiam pacem facile accepturum argumento esse verissimo manifestamque esse offensae confessionem et paenitentiam haud dubie agere, quod pacem solito diligentius urgeat, ad adversarios prior legatos mittat et ad Caroli opem accurrat, quo sane indignitatis sese non abiiceret, nisi plane ab amicitia Turcae excidisset et ultimis necessitatibus premeretur.

Vicissim et Ioannes videns eo tum offerri sibi nullas condi- 45
tiones tolerabiles et, si magnopere commoveretur in iram, quod sic tanquam per contumeliam secum ageretur et circumduceretur vanitate tractatuum, pacis propositum nequaquam abiecit neque curam intermisit, sed occasionibus, quae se iam hinc inde caeperant exercere, aliquamdiu vacare instituit differendo variis modis caesariani oratoris expeditionem.

Allata sub haec spe obtinendae Cassoviae, cui iam dudum 46
insidiae intra muros Georgii Ezteri, Martini Ghechiey et Gregorii Lonay, vis foris duce Ioanne Kalay et Wladislai Edenfy non exigua neque segnis imminebat. Nam civitas haec in Hungaria, Cibinium in Transsylvania diutissime iugum abnuerant ac praecipuae solae tanquam arces praesidiorum Ferdinandi obstitere aliquot annis privatis opibus, quominus Ioannes libera utriusque regni dominatione potiretur. Sed Cibinum anno iam proximo deditum erat opera et novo studio in Ioannem Stephani Mailady.

Factus etiam certior caesarianos apud Insubres damna ac cae- 47
dem perpessos, postea et in Gallia Narbonensi ob inopiam comeatuum, quos Galli sub adventu hostium de industria prius partim corruperant partim summoverant, magnas difficultates adiisse erectus facile caepit futurum sperare, quod, si et caesar conatibus suis frustraretur et de Cassovia bene succederet, aequiorem esset in posterum pacem assequuturus et cum accessione Cassoviae plures etiam a Ferdinando Hungari in suas partes relaberentur. Quod qui- 48
dem sic evenit. Nam paulo post existente adhuc legato Varadini, cuius dimissionem Ioannes, uti iam memoravimus, ob has causas protellabat, intercepta Cassovia est et in potestatem Ioannis redacta.

Consequuta mox est et fama de discessu Caroli ex Gallia 49
minus pro voto rebus habitis, unde complures deiecti spe, quam ingentem his ex rebus conceperant, ad Ioannem a Ferdinando, quod opinatus fuerat, desciverunt sequuti duorum summorum hominum exemplum Valentini Turci et Francisci Bebechi, qui ut initio transitus sui fidem Ioanni probarent, quae suspecta esse poterat ex priore lapsu, confestim Bebechus misit ei suis stipendiis CCC equites et pedites totidem archibusiis instructos, bombardam quo-

que mirae molis atque operis praestantissimi ita, ut merito regalis machina dici potuerit, Valentinus Franciscum Kapolnay strenuum militem et bellica laude non fraudandum, nisi rapinis, inconstantiae et violentiae indulsisset, acie perculit, viribus totis exuit et ad Savum usque ex Hungaria fugavit. Eius dein castellum Gherench nuncupatum, quod tumultuario opere in alieno solo intra paludem Kapussianam per vim erexerat, unde facilius Ioanni imminneret, neutrius regis auspicia sequutus, expugnavit atque disiecit pro hac transitione tam opportuna et pro hoc facinore memorabili amplissimis donis a Ioanne ornatus. Datum illi Hunyadinum in Transsylvania arx olim Ioannis Corvini celebratissima, in Hungaria item campestre oppidum ingens et opulentum Debreczinum, postremo equus et ensis Turcicus, auro atque argento munus utrumque conspicuum. Addita et pecunia et Quinqueecclesiensis episcopatus, quem avunculo suo Ioanni cognomento Sulyok secum reducto poposcerat restitui, quandoquidem is eo iam annos circiter VIII caruerat, quod ad Ferdinandum defecerat. Non defuere et Bebeko sua munera et utrique primi honores dati, quod potentes erant.

Accessit pondus et a Moldavo regulo Ioannis rebus. Is enim adversae partis hominum stimulis exagitatus plerumque non etiam tunc validius, quum novam aliquam vim in eum calamitas intendisset, quare ea quoque tempestate affabre de his omnibus instructus machinis bellum magno conatu in Transsylvanos edixerat. Verum accepto nuncio de Ioannis in Hungaria successibus destitit ab inceptis et ultro misit ad Ioannem oratores, qui se excusarent et animum eius erga se mitigandum curarent. Levitati hominis facile indultum, quod graviora negotia suadebant. Francisci tantum Lazari nece expiatum, quidquid Moldavus meruerat, quocum ille homo inter Siculos authoritate facile princeps et inimico in Ioannem ab adversariis, quod creditum est, imbutus spiritu consilium iunxerat et aditum Valacho in Transsylvaniam praebere voluerat. Ad haec et aedes sacra, quam in oppido Zathmariensi ad Zamosum flumen sitam Christophorus Kavalys homo in plebem saevissimus Huzti praefectus valida munitione circumiecta praesidio sceleratorum hominum duce Mathia ex Croatia oriundo firmaverat, expugnata caesisque ad internecionem caeteris solus Mathias vinctus cum XX sociis est Varadinum tractus; omnes in furcas acti, dux palo suffixus est.

Popularium demum studia, quasi iam frustra esset Ioannis fortunae reluctari, incredibiliter erupere collataque tum ab Hungaris tum a Transsylvanis non mediocris pecunia, boves etiam apud Siculos usti, prosperrimus hic annus Ioanni cessit et nescio, an ullus est eo laetior, quo novitas eius in diademate et purpura conspecta est.

His itaque adiutus rerum accessionibus sumpsit animos et in opinione stetit. Aucta mox et audacia petendi et obtinendi spes ab adversariis omnia maiora. Modestiae tamen limites non egressns ostentavit tantum sese, pectus certe anxium eo magis amore pacis deflagrare pergebat, quo confirmatior in regno fieri videbatur, quam-

quam multa metu periculorum simularet, dissimularet omnia, donec ex sententia rei suae perficiendae modum inveniret.

Sed et legatus cernens Ioannis fortunam nimis in altum sese 59
momento temporis pene proripuisse eique tum vim tum authoritatem omnium opinione maiorem cumulasse, Carolo et Ferdinando omnia, quae speraverant, secus ubique evenisse ita, ut ea, quae attulerat, valde iam infra Ioannis existimationem forent nec maiora polliceri mandatum esset, omni spe eo tum de conficienda pace abscissa missionem impetravit.

Eum itaque Ioannes honesto munerum ac verborum multo 60
honore cumulatum, spectato etiam comitantium splendore prosequutum, rationibus quoque conditionum, quibus tandem ea pax serio confici posset, praesertim de conciliando stabili faedere inter caeteros principes, quod solum dicebat fore vindicem Christiani nominis cuique etiam ipse inniti posset auderetque eo fretus securius in omnem eventum fortunam tentare, commode instructum monitumque diligentur, ut pro his apud caesarem sedulo elaboraret, dimisit. Interea vero ad beneficia fortunae non impiger augustiorem 61
amplitudinem mente complexus, tamquam paci rebusque suis firmandis optatam viam patefecisset, egit omnia, quae illi domi authoritatem, foris famam, apud hostem aestimationem essent conciliatura. Acta haec anno domini MDXXXVI.

Insequens clade Ioannis Koceaneri in Pannonia inferiori ad 62
Ezikum et Garram accepta memorabilis de pace principum novis tractatibus datus. Hinc et Ioannis regis, de cuius iam tum voluntate tum fortuna late constiterat, aequior habita ratio. Porro visa 63
Turcae per id temporis in rem Christianam magna conspiratio, qui in Ceraunos Aulonem usque cum ingenti exercitu paulo ante proruperat, Ionicum simul et Siculum mare numerosa classe constraverat, Corcyram Venetorum insulam ferro atque igne vastarat, in Italiam quoque transpositis copiis Calabri praecipue afflicti, Brutii, Lucani, Appuli, Samnites, Peligni et Campani trepidi gensque ex omnibus iis populis magno numero partim caesa, partim abacta; ad usque Romam perlata consternatio.

Nec Dalmatiae interim parsum intercepta arce nobilissima 64
Clytii in summis Adriae iugis supra Salonas in praecipiti rupe sita; amissa Auranea ac Nadino Iadrensibus municipiis non solum Almissium, Spalatum, Tragurium, Sibenicum et Iadra, quibus urbibus ea loca, imo munimenta fortissima in mediterraneis adiacent, verum etiam tota provincia periclitabatur.

Laeso itaque ob Italiae damna Christianorum caesare Carolo, 65
offenso senatu Veneto ob Corcyrae et Dalmatiae vastitatem, terrefacto vicinitate hostis Romano pontifice et lacessitis pene totius Europae mortalibus ad syncretismum quemdam, quod dici solet, non amore mutuo, sed necessitate publica imminentis mali concurrendum erat, ut publicae iniuriae atque periculo publicis viribus occurreretur.

Huic vinculo vetustissima Caroli caesaris et Francisci Galli- 66

arum regis obstabant odia, quorum dum uterque potentiae suae quaerit incrementa, totam Europam propositis odiorum atque armorum praemiis in suas partes distraxerant ita, ut ab eorum principatus initiis ea pars orbis ne vel vestigium pacis ullum ad hos usque dies cognoverat, quod ambo potentissimi nominis Christiani principes censebantur, ipsaque die ex mutuis illorum ultionibus crescebant in animis odia novaeque subinde historiae maioribus bellis materiam suppeditabant. Factum itaque his ex rebus est, 67
ut iam non quibuslibet rerum dominis, non viris ipsis ea gratiarum concederetur felicitas, qui animos i lorum lenire et ad concordiae studia amoremque revocare possent. Solus Romanorum pontifex Paulus III. ob reverentiam supremi muneris, quod gerebat in ecclesia, auditus. Solis Leonorae Galliarum, Mariae Hungariae re- 68
ginis divi Caroli imperatoris sororibus id gloriae et pietati peculiariter datum operaque ipsius pontificis atque harum reginarum induciae primum inter eos trium mensium ab Augusto ad Novembrem factae, deinde ad alios tres dilatae et stabilitae. In his ces- 69
satio armorum Picardis, Delphinatibus, Alobrogibus, Insubribus, Provincialibus, Liguribus et caeteris omnibus, qui caesaris regisque ditionis ubique terrarum invenirentur, concessa vel ea potissimum de causa, ut intra hoc spatium temporis facilius ad longiora et arctiora faedera postremoque ad perpetuam pacem propius aditus sterneretur.

Haec in hunc modum dum aguntur, Ioannis partim succes- 70
sus partim postulatio considerantur. Iudicatum est apud adversarios accessionem eius ad huiusmodi concordiam oppido fore opportunam magnumque momentum allaturam rebus Christianis, quum iam eam Veneti quoque firma deliberatione excelsoque animo concessissent, sine quorum societate frustra fuit semper Turcicam hostilitatem maritimo Marte tentare; causa quidem Ioannis obviis suscepta animis et de eiusdem postulatis decreta facilitas legatusque ad eum idem Ioannes archiepiscopus Lundensis designatus.

Sed nec Paulus pontifex segniter usus est suo officio. Bene 71
enim prius per nuncios apud omnes status ad hoc saluberrimum faedus veluti fundamentum indubiae pacis procurato consensu Niceam in Galliam Narbonensem eodem et caesare et rege Galliarum pro sua utroque dignitate honorifice accersito profectus est caesarque solita modestia usus prior ad locum comitiorum veniens pontificem excepit, Gallum vero pontifex ibique in colloquium et familiarem consuetudinem eos deducens securo et pacifico statu tum orientem tum occidentem mareque ac terram et dulces aquas incolentibus, sic enim in pactis expressum erat, subditisque amborum ubique gentium existentibus sancito decennalibus induciis coniunxit anno a Christo nato supra XXXVIII. M. D.

Legatus vero caesaris ad Ioannem huc interim profectus; ma- 72
gnis difficultatibus utrinque obiectis diu de pace Varadini disceptatum, ea tamen ad postremum confecta est nec nisi septem viris in tractatum admissis ex episcopis Francisco Francapano Agriensi,

Ioanne Statilio Transsylvaniensi, fratre Georgio Utissenio Varadiensi, Stephano Broderico Vaciensi et Ioanne Ezico Quinqueecclesiensi, ex primatibus vero Petro Perennyio et Stephano Verbuczio cancellario severissimumque prius a singulis desumptum est iuramentum, nequid eius concordiae propter Turcam enunciaretur, donec in tutum ipsius Ioannis fortuna et Hungariae status adduceretur, quod facile futurum sperabatur, si ea expeditio, quae tunc temporis in Turcam suscepta erat, feliciorem exitum fuisset consequuta.

Verum, ut exponam rem omnem, quam verissime fieri potuit, 73
intellectam, ordine prosequar.

MARGINALIA.

LIBER I.

2. Ioannes rex. Ferdinandus rex. Sigismundus rex Pol. 3. Aloysius Gritti. 4 Ibrainus bassa. Io. regis et Petri vaivodae causa Solym. veniebat. Boiarones. 6 Petri vaivodae mores. 8. Dolus Petri vaivodae in Aloy Grittum. 10. Emericus Cibacchus. Io. rex Grittum a morte volebat servatum esse 11. Petrus vaivoda Solymano ac vicinis princip. spretis in suos saeviebat. 14. Petrus vaivoda neque consanguineis pepercit. 16. Moldavorum ac Transalpinorum proprius mos. 17. Selimus. 18 Boiarones a Pet. vayvoda alienantur paulatim. 19. Etiam Valacchi suis legibus vivunt et libertate gaudent. 20. Boiarones de vocando caes. Solym. consilium ineunt. 22. Solym. monuit P vaivodam, ne in suos saeviret. 24. Dudum Soly. Transsylvaniam invasisset, si etc. 26. Transsylvaniae et Valacchiae gens rustica qualis. 29 Cur hucusque Solym. noluit Transsylvaniam tentare. 30 Boiaronum ad Solymanum occulti legati. 32. Boiaronum oblationes Solymano. Quid Boiar. a Solym. petunt. 33. Curae Solym. illius temporis. Carol. imp., Fran. Gall. rex. Papa Paul. III. Multa Solym. hortabantur ad faciendam hanc exped. 34. Solym. acquievit petitionibus boiar. 35. Praecipitur boiar. aliis literis, ut P. vay. capiant. 36. Logoffeth. 38. Responsio boiaronum ad legatos prudens. 39 P. vaivoda persistit in sententia. 40 P. necessario pugnare debebat et apparatum facit. 41. Moldavia Annona ex agris subducitur partim, partim corrumpitur igni. 42. P. vaivoda cum exercitu castra metatur. 43. P. vayvoda a Io. rege consilium assidue petebat. 44. Io. regis consilium datum Petro. 45. Bistricia. 46. Io. regis summa in Petrum sinceritas. 47. P. vaivoda nihil Io. regis consiliorum facit. 49. Solym. et Polon rex uno tempore P. hostes. 50. Emericus Bebek. 52. Poloniae rex excusatur. Amnis Pruth. Solym. ad arcem Suchwam pervenit. 53. Turcae per-

vagantur hostiliter Mold. 54. Solym. suos prohibet a populatione. 55. De Valacchorum matrimoniis. 56. Apud Valacchos aeque nothi ac legittimi succaedunt in dominium. 57. Principum Valacchorum crudelitas vel impietas potius. 58. Stephanus vayvoda P. frater Constantinop. servatus. 60. Baiazettus a Selimo filio imperio pulsus. 61. Stephanum Solymanus vayvodam creat. 62. Solym. creato novo vaivoda, promulgato illi regno praemia pollicetur, qui Petrum caperet. 64. Petrus a Polonia regrediens fit certior Mold. occupatam. 66. Petrus circumventus ultimis malis verba ad boiar. facit. 73. Responsio boiaronum. 75. Humillima P. ad boiar. oratio. 82. Petrus impetratis, quae volebat a boiar., pacifice ab eis digreditur. Mihul dux exercitus cum boiar. it ad Solym. 83. Petrus cum paucis ad Hothyn regreditur. Hothyn arx in finibus Russiae. 84. Uxorem et liberos in Chycho habebat. 85. Boiaronum in Petrum scelus 86. Petri astutia. Petrus morum gentis suae non ignarus. 87. Petrus ab arce Hothyn reppellitur. 88. Nezter flumen. 89. Petri vaivodae errores ac pericula. Karachonkew abbatia. 92. Aloysius Grittus, Meggies oppidum. 95. Petrus vayvoda solitudini sese committit solum Pruth. Zereth. 96. Moldavi proceres vittam ferunt soli. 101. Stephanus Maylad. Aditus Oythoz. 103. Petrus in sylva citra dignitatem vaivodalem rapitur. 105. Petrus veretur ad Maylad venire. Petrus opera Siculorum quorundam ad Chycho evadit. 106. Boiarones ad Solym. veniunt et se illi dedunt. 107. Cur tam duriter fortuna in Petrum animadvertit.

LIBER II.

1. Ioannes rex Transsylvaniam invisit. Principum praesentia. 2. Ioannis regis mores. 7. Io. regis ad Solym. legati. 8. Mehmetbegus zanzacchus. 9. Io. rex verbis tantum a Solymano tenebatur. 10. Suspectus Io. rex apud Solym. 11. Io. rex ab amico Turca factus certior de ira Solym. erga se. 13. Io. rex serio, quae de Solym. afferebantur, accipiebat. 16. Oratio Ioannis regis ad proceres. 39. Quibus consiliariis Io. rex utebatur. 40. Stephanus a Werbewcz. Gregorius Pestyenni a Martonos. Franciscus Frangepanus monachus. Stephanus Brodericus. Petrus Petrovith. 41. Petrus Perenny. Franciscus Bebek. Stephanus Maylad. Emericus Balassa. Franciscus Kendy. 42. Ioannes Statilius. Georgius Utissenius heremita. Ioannes ab Ezek. 43. Procerum unanimis consensus. 44. Io. rex laetus collaudat suos. 45. Io. rex exercitum lustrat et, quae ad bellum sunt necessaria, providet. 46. Oytoz viae descriptio. 48. Via Oytoz Stephano Maylad servanda assignatur 50. Cibinio ac Brassoviae praesidia mittuntur. 51. Exercitui locus datur. 52. Ipse Io. rex Colosvarii interim se continet, donec Hispani et Germ. advenirent. 54. Plebs rustica permittitur domum ire, donec rem agi opportebit. 56. Io. regi certus nuncius affertur de Mold. capta et quod contra se veniret. 57. Io. rex ducem ac proceres edocet, quid agendum sit, ubi hostis aderit. 61. Turcae cuiusdam erga Io. re-

gem ingens amicitia. 62. Solym. sententiam mutat. Turcae venales. 63. Ambigitur, quae causa Solym. mutavit animum. 64. Fama vulgaverat Io. regis ingentem esse exp. 67. Io. rex cur hanc occasionem accepit. 71. Mavult Io. rex adhuc nonnihil Solym. tolerare, quam rem suam cum periculo praecipitare. Io. rex semper fugit a nota tributarii. 72. Io. rex nihil unquam sine consilio agere volebat. 74. Io. rex datis donis summa dexteritate amovet a Transsylvania. 75. Solym. Petri vaivodae repertis thesauris et occupata parte Mold. Constantinop. recedit. 76 Alba Nezter. 77. Io. rex castra solvit. Excusatur Io. rex iusta causa. 79. Chycho, Kykellw arces datae olim Moldavo, nunc per Io. recuperatae. Matthias rex. 81. Petri Strigoniensis error. Mahomettus caesar Albam Nezter et Chyliam occupat. 82. Moldavi de Matthia rege queruntur. 83 Matthias rex Moldavo dat Chycho et Kykellew. Petrus archiepiscopus Strigoniensis carceri datur. 84. Georgius Utissenius mittitur ad P. vaivodam. 86 P. vaivoda arcem Chycho dedit Ioanni regi et Kykellw a praefecto suo. 88. Colloquium Petri cum fratre Georgio. 91. Turris Rubea. 92. Ioannes rex ordinatis omnibus in Transsylvania Budam regreditur et nuptiis dat operam. 93. Io. Statilius orator in Italiam et Gallias. 95. Spes Christianorum in confederatione principum.

LIBER III.

141. Unde Siculi.

ANNOTATIONES CRITICAE.

cf.: confer — *corr.:* correctum, correctione — *del* deletum — *inscr.:* inscriptum — *marg.:* margine, marginale — *om.:* omittit, omittunt — *s. m.:* secunda manus — *sc.:* scilicet — *tit.:* titulus

LIBER I.

1—4. Moldavi proceres (proceres *custos fuit in* Q) Fks

Tit.: Antonius—Solymano] Bellum Petri Moldavi cum Solymano et Ioannis regis apparatus *(s. m.)* F, *om., quia Supplementum continenter sequitur librum I.*, ks - 1. Quum] *(superior pars folii 1. continens in recto verisimiliter 8 versus decisa est)* . . . diem prospere regnet ac tandem liberis et nepotibus intactum atque auctum regnum tradant? Sed huc et illud accaedit, quod nullum ferme dominium est, quod se suis viribus tueri potest et quod, nisi alterius vel affinis cuiuspiam vel vicini praesidiis ac ope socia firmentur, queant satis consistere. Prius itaque, qui regnis ac populis praesunt, diligenti consideratione debent aestimare, quem aggredi, quem oppugnare aut lacessere intendant et vires suas cum hostis potentia comparare seque adversus eum . . . *(de folio verso deciso verisimiliter 9 versus desunt)* experiuntur. Quare Petri Moldavorum vaivodae *(marg.* Petrus vaivoda) nunc per Solimanum (*marg.* Solymanus) Turcarum caes. regno pulsi facile tum expulsionis causa tum dominandi exitus patebit, si, quae praemisimus, perceseantur *(pro* percenseantur). Quandoquidem et inconstantia, quamdiu dominio praefuit, transversum illum semper aegit et crudelitas in subditos invisum suis reddidit ac regno deturbavit. Verum, ut exponam rem omnem, quam verissime potuit, intellectam, ordine prosequar. Quum *corr. primum in . . (de deciso folio verisimiliter 8 versus desunt) . . . (5 vel 6 verba, quae ad textum partis decisae folii attinebant, legi nequeunt)* diem prospere regnet, liberis ac nepotibus intactum atque auctum regnum tradant? Huc et illud accaedit, quod nullum ferme dominium est, quod se suis viribus tueri potest et quod, nisi alterius vel affinis cuiuspiam vel vicini utrisque fortissimis praesidiis ope que socia firmentur, queant satis consistere. . . . *(8 verba, quorum 4 deleta sunt, legi nequeunt; deinde del.* dudum; *deinde verbum quoddam legi nequit)* dudum iam Ottomani . . . *(deinde 3 vel 4 verba legi nequeunt)* itaque, quam diligenti consideratione aestimaet *(pro* aestimet), quem aggredi, quem oppugnare aut lacessere intendant et vires suas cum hostis potentia comparare seque adversus eum . . . *(de folio verso deciso verisimiliter 9 versus desunt)* experiuntur. Quare Petri Moldavorum vaivodae *(marg.* Petrus vaivoda) nunc per Solimanum *(marg.* Solymanus) Turcarum caes. regno pulsi facile tum expulsionis causa tum dominandi exitus patebit, si, quae praemisimus, perceseantur *(pro* percenseantur). Quandoquidem et inconstantia, quamdiu dominio praefuit, transversum illum semper aegit et crudelitas in subditos invisum suis reddidit ac regno deturbavit. Verum, ut exponam rem omnem, quam verissime potuit, intellectam, ordine prosequar. Quum *corr postremo in* Verum, ut exponam rem omnem, quam verissime fieri potuit, intellectam, ordine prosequar (Verum—prosequar, *quia nostro textui non convenit, reliquimus)* Quum F, Cum k — Solymani k - Iulias—Transsylvaniam *corr. ex* Iulias allatus esset nuncius affirmareturque illam F - regem *om.* k - Transylvaniam k - 2. Romanorum ks - 3. interitum] inreritum *(sic)* k - Transylvanis k - Transylvanorum k - quod suspectam] quam suspectam ks - 4. omissa ks - Transylvania k - passa *corr. e* bassa F - ex sententia sua *corr. e* beneficio suo F - occisum *corr. ex* occisum quam damno F - quum] cum ks - rempublicam ks - sola *corr. e* sola tum F - imperatoris ks — et odio *corr. e* tum odio F

4. proceres—94. latebris abditus (abditus *custos in* Q) FQs

